JUSTIFICATIO
SEU
DEFENSIO
CENSURÆ
FACULTATIS
S. THEOLOGIÆ ACADEMIÆ
LOVANIENSIS,

Contra Aſſertiones quaſdam Profeſſorum
ibidem Societ. Nominis JESU.

DE SCRIPTURA SACRA,
PRÆDESTINATIONE,
ET GRATIA CHRISTI.

Iuſſu Reverendiſſimorum & Illuſtriſſimorum Belgii
Epiſcoporum, *Anno* 1588.

PARISIIS,

M. DC. XLI.

Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi.
Deuteronomii 32.

PRÆFATIO.

ABSOLVIMUS tandem, Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini, injunctam nobis provinciam, quâ profeſſorum hîc Societatis reſpondere juſſi ſumus Apologiæ, quam illi adverſus cenſuram noſtram edidêre: verùm ſeriùs fortaſſe, quàm pro deſiderio veſtro, ac etiam noſtro, ſed pro ſcholæ noſtræ exercitiis ac prælectionibus, domeſticorumque ac intercurrentium negotiorum neceſſitatibus, ac rei ipſius & argumenti magnitudine, ſatis, ut opinamur, maturè ac feſtinatò. Quamquam & Profeſſores ipſi non exiguam nobis injecere moram, dum inprimis præter expectationem Apologiam ſuam non parùm innovarunt, eamque multò hîc aliam nobis ſuperiore Julio exhibuere, quàm inter ſtudioſos occultè hîc ſparſa primùm Lovanii, ac pluribus deindè locis vulgata foris fuit, tandemque ad quorundam etiam noſtrorum pervenit

manus. Quâ mutatione ſeriùs animadverſâ, quod unicum ejus apud unum adhuc hæreret exemplar, coacti ſumus & ea, quæ jam ſcribere cœperamus mutare, ac totam deindè Apologiam cum veteri conferre; ubi non pauci nobis periêre dies. Ad hæc, non parùm eripuit temporis conſulendorum Aüctorum neceſſitas, quos plurimos confidenter magis, quàm fideliter citatos hîc non rarò deprehendimus. Huc accedit, quod plures numero ſimus, cum quibus agendum ſit, & legi ab omnibus & cognoſci oporteat, quod probetur ab omnibus, atque ad eam rem variis etiam fuerit exemplaribus opus, quæ in hac tanta nunc Scribarum & amanuenſium raritate expediri non tam citò potuêre.

Quibus incommodis omnibus occurri facillimum erat, ſi Patres Societatis Apologiæ nobis ſuæ, quibus utique ſcriptam in calce ſignificant, exemplar, uti par erat, tradere fuiſſent dignati. Sed factum per eos ſtudiosè videtur (quod nec apud acta coram Reverendiſſimis Illuſtriſſimiſque DD. diſſimulare potuerunt) ut ne quid ejus pervenire ad nos aliquando poſſet, ſtipulatione etiam cum pleriſque interpoſitâ, ne nobis communicarent, quando ſimile quid ad Reverendiſſimum D. Ar-

D. Archiepiſcopum Mechlinienſem ſcribentes, adjicere non dubitarunt: id, quantum apparet, agentes, ut quàm diutiſſimè ipſorum Apologia abſque reſponſo impunè legeretur, ſimul etiam ut ſuperveniente Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Nuncio Apoſtolico, ſpatium nobis ac tempus non eſſet cogitandi atque ex otio reſpondendi.

Undè factum, ut nec ante ſupra-dictum Julium, legitimum & Authenticum exemplar ullum viderimus. Nam licet unus quidem noſtrum, ac poſteà etiam alter, exemplar aliquod ſint nacti, id tamen ſecretum habuêre, partim ne, uti convenerat, palam fieret à quo accepiſſent, partim ne non cæteris flagitaturis, liberum ejus habere poſſent uſum: quamquam nec ullum eorum authenticum fuerit, quin verò admodùm depravatum, multiſque locis mutilum ac imperfectum, ut etiamſi omnium noſtrum fuiſſet commune publiceque acceptum, reſpondere tamen conſultum non eſſet, fruſtrà ſe fortaſſe fatigaturis, qui ſcribendi laborem ſuſcepturi eſſent. Et hæc quidem tarditatis in reſpondendo noſtræ, juſta excuſatio eſt, quamquam maluiſſemus ſanè prorsùs eâ non uti, optabiliùſque fuiſſet privatim potiùs atque ex otio, &

amicâ ſcripti collatione cum Profeſſoribus agere, quàm publico iſto & quaſi judiciario conflictu; niſi res iſta parùm feliciter in publicum pertracta foret: utrius verò partis culpâ, noſtrâne an illorum, nos hîc proſequi nolumus, maximè quando Illuſtriſſimis Reverendiſſimiſque DD. placuit, obliteratis anterioribus querelis omnibus, de principali tantùm doctrinæ agi argumento. Quare faciendum etiam Profeſſoribus erat, ut ſi quid ejuſmodi in Apologia fuiſſet, id tollerent ac reſecarent, præſertim cùm alia non pauca mutaſſent. Quod uſque adeò factum ab eis non eſt, ut renovarint potiùs ac nonnulla etiam exaſperarint, ut niſi Illuſtriſſimi Reverendiſſimique Domini omittenda hæc cenſuiſſent, opponenda etiam illis reſponſio fuerit. Tacere tamen non poſſumus, quin de prioris ſcripti noſtri titulo tribus nos verbis purgemus.

Et Cenſuræ quidem illi nomen dedimus, non quaſi damnationis authoritatem nobis ſumentes, quam Sacroſanctæ Apoſtolicæ Sedis propriam eſſe non ignoramus, ſed Scholaſticum tantùm ferentes judicium, ſententiamque noſtram dicentes, aut ut veriùs loquamur, non aliud quàm fraternam correptionem interponentes. Idque vel ex eo intelligi facillimè

queat,

queat, quod non ita conditum hoc ſcriptum ſit, ut veniret in publicum, ſed ſecretæ tantùm collationi ſerviret, eoque privatim Profeſſoribus, aut uni potiùs Collegii eorum Rectori per Bedellum noſtrum in manus dari juſſum. Nam publicationem ſanè ſi ſpectaſſemus, non ita ſobriè ac jejunè, ſed accuratiùs copioſiùſque multò ſcriptum à nobis fuiſſet. Privatum ergo opus cùm fuerit, non poteſt ſeverioris cenſuræ tamquam damnationis reprehenſionem intelligi habuiſſe, cùm & generalis vocabuli ejus ſignificatio ſit, & verbulo admoniti aliud quidvis eo ſublato ſurrogare licuerit. Quod verò ſcripto potiùs, quàm verbis cum Profeſſoribus agendum putaverimus, præter alias nonnullas cauſas, ea maxima & præcipua fuit, quod ad multa vitanda incommoda, quæ exoriri indè poſſe videbamus, ea nobis expeditior, certior, tutiorque viſa fuerit collationis ratio, quæ proindè partis etiam utriuſque conſenſu firmata tandem ſuſceptaque fuit; ut de negatâ audientiâ juſta eſſe adverſus nos querela nulla poſſit: nam audire eos, uti jam cœptum erat, ſcripto ſuo loquentes, paratiſſimi ſemper fuimus, ſi à nobis potiùs, quàm ab aliis audiri, legique maluiſſent. Sed in hanc Camerinam, & querimonia-

rum argumentum ingredi altiùs nolumus, ſat habentes, facti noſtri vel breviſſimam reddidiſſe rationem. His ergo, uti placuit, omiſſis ac præteritis, ad principalem veniamus cauſam. Legimus itaque Profeſſorum Apologiam, quæ, ut, quod ſentimus, loquamur liberius, adeò nobis ſatisfacit, ut in pleriſque offenderit etiam magis. Et primum quidem quod eorum in multis ſententiam apertiùs liberiùſque prodit, principiis etiam fundamentiſque indicatis, quibus nitantur ac cætera ſuperſtruant: quæ talia prorsùs nobis viſa ſunt, ut iis retentis ac permanentibus, quænam ſperari in hoc ſententiarum diſſidio concordia poſſit, non videamus; *nec doctrinam eam, quam Auguſtini eſſe judicamus, vel ut probabilem nobis retinere liceat, ſed velut hæreticam & Calviniſticam neceſſe ſit omninò damnare.* Qualia ſunt inter cætera, exempli causâ, axiomata illa duo: *Eſſe de liberi actus ratione, ut à voluntate procedat tempore & naturâ prius ad ipſum actum indeterminatâ ac indifferenti.* Rurſus, *Quidquid ex poſitione aliquâ, quæ in poteſtate noſtrâ non ſit, per neceſſariam conſequentiam ſequitur, id eſſe ita neceſſarium, ut liberum eſſe nullo modo poſſit.* Ex quibus tamquam fontibus quibuſdam pleraque eorum dogmata fluunt & confirmantur, noſtra verò tolluntur, peri-

muntur

muntur atque damnantur. Quæ proindè (quando de purgandis rivulis fruſtrà laboratur, niſi fontis ante omnia vitium curetur) diligenter expendi ac conſiderari velimus, præſertim cùm poſterius hoc principium olim ante annos 112. univerſitatem hanc noſtram, in cauſa contra quendam Petrum de Riuo non parùm exercuerit, & Romæ agente procuranteque noſtrâ facultate ſub Sixti IV. damnatum poſteà, & ab ipſo authore ibidem præſente, revocatum ſit; quemadmodum ex illius temporis actis publicis ibidem conſtare poterit. Sed de quo negotio cæteriſque plura inferius in defenſione noſtrâ. Diſplicet deindè in eadem Apologia non parùm, quod quemadmodum olim Pelagiani, erroris ab Auguſtino notati, dum ei Manichæiſmum regerunt, quia liberum arbitrium inter cætera videri volebant ab eo ſublatum, Manichæorum neſcientes juvarent cauſam; ita iſti dum pro Pelagianæ affinitatis admonitione eundem nobis Manichæiſmum, hoc eſt mutato nomine Calviniſmum objicere ſtudent, Calviniſtarum partes magnopere promoveant, eoſque in ſuo errore confirment: quemadmodum in ſubjectis evidenter docebitur. *Lib. 1. contra Iul. cap. 8. & 9.*

In eadem Apologia malè nos etiam

habet, quod in illo tam ſublimi prædeſtinationis & gratiæ tractando argumento, ſuâque ſtatuendâ ſententiâ, humanas eos plus ſatis rationes & philoſophicas argutias, quibus ſeſe alioſque implicant, ſectari cernimus, ut his potiùs, quàm ſcripturarum ſolidis fundamentis, ac certâ Veterum authoritate, niti ac fidere videantur. Et vetuſtatis quidem, quam totam ſibi conſentientem ſatis fortiter aſſerunt, teſtimonia ſubindè non negligunt, ſed ea ferè tam indiligenter negligenterque citantes, ut legiſſe nunquam ea, vel ſeriò inſpexiſſe non levis ſuſpicio ſit, neque tam ex fontibus ipſis, quàm ex lacunis hauſiſſe videantur: adeò ea ſi excutias propiùſque intuearis, longè aliud loqui ac ſentire deprehenduntur.

Huc accedit quod eos non ſatis ingenuâ ſimplicitate videamus uti. Cùm enim in priore permanere ſententia, aſſertioneſque tueri ſuas videri velint, tamen tacitè retractant, corrigunt, limitant, mitigant, nonnulla diſſimulanter prætereunt, ambiguiſque verbis ſe tegunt atque involvunt, ut in tenebris evadere poſſint. Sanè interrogati apud acta, num cenſuratas aſſertiones pro ſuis agnoſcerent, agnoſcere ſe reſponderunt; ſed quemadmodum eas Apologia explicaret.

Eam ſi conſulas, vel circa primum de ſcriptura titulum, talem mox declarationem deprehendes, quæ non tam explicatio, quàm correctio ſit, nec tam prioris ſententiæ defenſio,. quàm reprehenſio & accuſatio. Quantò ſimpliciùs candidiùſque fuiſſet, à priore opinatione recedere, quàm tueri hoc pacto velle, ac reliquam totam reſponſionem de eodem artificio ſuſpectam reddere? Et quænam ſanè tam abſurda ſententia fuerit, quæ non hoc pacto defendi, ac vera cenſeri queat? Poſtremò diſſimulare nec illud poſſumus, majorem nos in hoc ſcripto deſiderare candorem. Cùm enim ſua quidem dogmata mollire & ſpecioſa reddere conentur, noſtra è diverſo odiosè proponunt, atq; exaſperant, adeòque & adjectis, quas volunt, offenſivis voculis, malo more corrumpunt atq́; depravant, affingentes etiam nobis, quę numquam ſenſimus, nec in animum induximus noſtrum. Sed de his hactenùs.

Ad reſponſionem verò noſtram quod attinet, eam ad methodi ac ordinis leges revocandam putavimus.

Quoniam enim Profeſſores vel in ipſo Apologiæ ſuæ titulo controverſas propoſitiones iſtas ſparſim à nobis è ſuis prælectionibus decerptas, ac è ſuis ſedibus queruntur avulſas, querimoniæ huic tametſi

vanæ ſatisfaciendum putavimus. Nam reverà non alium hîc ordinem ſtudioſè iuduximus, ſed eum ſecuti ſimpliciter ſumus, quem in excerptis per noſtros deputatos ſententiis invenimus, quas ſe illi ex profeſſorum dictatis & prælectionibus, juxta earum ſeriem bonâ fide tranſſcripſiſſe referebant. Sanè de avulſione, quod ajunt, non equidem videmus quemadmodum proferri aliter atque in lucem extrahi potuerunt. Ut enim in Cenſuræ noſtræ præfatione admonuimus, faciendum nobis non fuit, ut totas diſputationes in medium adferremus, neque ulla id habet Eccleſiaſtica conſuetudo, ut aliud quàm ipſa, de qua quæritur, propoſitio expendenda proponatur.

Quamquam nec locis quidem ſuis reſtitutæ alium, quàm in eis notavimus, ſenſum recipiant: excepto uno conditionatæ præſcientiæ vocabulo, quo ſi novo more ad novam explicandam ſunt uſi doctrinam, ignoſcendum nobis putamus, ſi uſitatiorem loquendi in hoc argumento conſuetudinem ſecuti ſumus. Sed pervulgata hæc omnium querela eſt, qui cùm erraſſe videri nolint, intellectos ſe non eſſe clamitent, & aliud in receſſu & tractatus ſui viſceribus habere verba, quàm è corpore diſtracti præferri videantur.

Veremur ſanè, immò ſperamus potiùs, excepto illo conditionatæ præſcientiæ vocabulo, meliùs ipſos à nobis, quàm fortaſsè velint, eſſe intellectos. Verùm hæc interioris jam cauſæ ac diſputationis ſunt. Ad ſubmovendam itaque, licet inanem, iſtorum querimoniam, non ex ordine ad ſingularum reſpondemus aſſertionum Apologiam, ſed eas omnes ad certos paucoſque revocavimus titulos, ut quotquot ad idem pertinent argumentum, eas conjungamus; eodemque ſimul tenore tractemus: cujus quidem Ordinis ac methodi poſt hanc præfationem ſchema quoddam velut tabellam oculis ſubjecimus.

Nam & hoc commodius nobis viſum fuit, & ad rei tractationem, & ad intelligentiam accommodatum. Ubi tamen non putavimus ad ſingula nobis minutatim reſpondendum, contenti præcipua diligenter tractaſſe, undè cæterorum difficile non fuerit ſolutionem petere.

Cæterùm præfationis noſtræ, quam Cenſuræ præfixeramus Juſtificationem, ejuſque adverſus Apologiam purgationem, quoniam ex ſuperioribus ea pendet, in poſtremum rejecimus ſcripti hujus locum. In quibus omnibus pertractandis, ſi paulò ſumus prolixiores, veniam

niam nobis dandam putamus. Primùm, quia non ſolis hæc ſcribantur duobus Societatis Profeſſoribus, cum quibus præſens nobis controverſia eſt, ſed aliis quoque pluribus aliter fortaſſis à quibuſdam perſuaſis, quibus proindè latiùs fuſiùſque noſtra fuit explicanda ſententia: quo etiam conſilio verba interdum B. Auguſtini & nonnullorum aliorum Veterum Patrum recenſenda putavimus, ut, quoniam non ſemper ad manum authores ſunt, aut non lubet interruptâ, quæ præ manibus ſit, lectione, ad eorum libros recurrere, ea & eodem ſimul tenore, & ſuo opportunè loco legi, cognoſci, judicarique poſſent.

Poſtremò, quia Reverendiſſimis Illuſtriſſimiſque DD. viſum fuit, ut ne res in longum extrahatur, unicâ nos hâc reſponſione defungi. Quare neceſſe habuimus plura interdum addere, & argumenta diſſolvere, quàm Apologiæ cauſa, ejuſque refellendæ neceſſitas poſtulabat,

Ut autem præfandi finem faciamus, illud nobis ſolemniter præmittendum, ut quæcumque à nobis hîc dicta ſunt, totamque ſententiam ac diſputationem in hoc argumento noſtram, Apoſtolicæ Sedi tanquam Eccleſiæ totius Magiſtræ, pro-

pro-ut par eſt, ſemperque fecimus, toto cordis affectu ac devotione ſubmittamus, gratiſſimo animo accepturi quidquid hac in cauſa decernendum præſcribendumque cenſuerit, ejus vocem ac definitionem non ſecus atque à B. Petri Cathedra, ac Spiritus Sancti per eam loquentis ore profectam, obedienter, reverenterque ſuſcepturos eſſe profitentes: ut tota intelligat Chriſti Eccleſia, eſſe & nos Sedis Apoſtolicæ filios, qui ab ejus decretis ac definitionibus ne latum quidem unguem Dei gratiâ diſcedere propoſitum habeamus: nec tam de gloria & nominis noſtri honore (ut quidam ſibi perſuadent) quàm de veritate ſollicitos fuiſſe. Quam ſubmiſſionem in noſtra cenſura non fuiſſe initio additam, nemo mirabitur, ſi eam cogitet ſolis hîc Societatis Profeſſoribus ſcriptam, quæ privatim ab eis legeretur, non autem ut in publicum emitteretur.

Ut verò ab ipſo ſtatim principio ad Sedem Apoſtolicam controverſia remitteretur (quamquam id ab eis nunquam petitum intelleximus) tamen id fieri, re nondum mutuâ collatione ad aliquam maturitatem, perductâ, præproperum nimis erat, & præmaturum, neque id facere prudentiæ, conſiliique fuiſſet.

Methodi ac Ordinis Schema.

De Scriptura Sacra.

Aſſertiones tres.

De Prædeſtinatione, utrum conditionatam præſupponat præſcientiam.

Aſſertio prima & trigeſima.

Sitnè ex meritorum præſcientiâ ad gloriam prædeſtinatio.

Aſſertiones 20. 21. 23. 24. 26. 27. 28. & 29.

De Providentia.

Aſſertio 17. ſecundum poſteriorem Cenſuræ & Apologiæ partem.

De Chriſti gratia Sufficienter præparante ac excitante.

Aſſertiones 8. 11. 12. & 25.

Aſſertio 9. & 10. de gratiæ concomitantis concurſu.

Aſſertio 13. & 22. de perſeverantiæ dono.

De ſufficiente, quod omnibus detur, auxilio.

Aſſertiones 2.3. 4.5.6.7. 14.15. 18.19.

De parvulis.

Aſſertio 16. & 17. ſecundum priorem Cenſuræ & Apologiæ partem.

Concluſio.

Aſſertio trigeſima prima.

Controverſiæ ſumma & Primaria Capita.

De Scriptura Sacra.

Scripturæ Sacræ verba ſententiaſque 1.
ſingulas adeò non eſſe à Spiritu Sancto *Aſſertio 3. de Scripturâ.*
inſpiratas, ut integer etiam liber ſolâ humanâ induſtriâ abſque Spiritus Sancti aſſiſtentia ſcriptus, ſacra ſcriptura fieri poſſit, ſi poſteà Spiritus Sanctus nihil falſum ibi eſſe teſtetur; atque hujus generis exemplum in 2. fortaſſe Machabæorum exſtare libro.

De Prædeſtinatione.

Prædeſtinationem ad gratiam, ſeu de- 2.
cretum liberandi hominem è maſſa per- *Apol. aſſert. 1. & 3.*
ditionis, præſupponere conditionatam præſcientiam obediendi & aſſentiendi gratiæ ſeu vocationi Dei, hanc nimirùm quâ illum præviderit Deus ſequuturum & non repugnaturum, ſi ſic vel ſic vocaretur: abſque hac autem præſcientia explicari vix poſſe, quomodò in prædeſtinatione libertas ſalvetur arbitrii.

Electionem ad gloriam non eſſe imme- 3.
diatam, abſolutam & efficacem, ſed ex *Apol. aſſert. 20. 21. & 23.*
præviſione meritorum, & conditiona-

tam, quomodò conditionatæ ſunt æternæ vitæ promiſſiones, ſi videl. divinæ gratiæ fuerimus cooperati. Alioquin enim & conſequendæ ſalutis & mediorum huc perducentium abſolutam ſequuturam neceſſitatem, adeòque videri etiam bonorum operum neceſſitatem, ac meritum juxtà Calvini ſententiam tolli.

De Providentia Dei.

4. *Apol. aſſert. 17.* Indignum videri Deo, ſi ante omnem præviſionem ſecundarum cauſarum, de rebus etiam minimis diſponat atque præordinet: omnemque generaliter Dei voluntatem, ſeu conſtitutionem, quâ ante præviſionem cauſarum ſecundarum aliquid præordinet, libertati contingentiæque adverſari.

5. *Apol. aſſert. 24.* Chriſti paſſionem & crucem non fuiſſe æternâ Dei voluntate præordinatam, atque ut tempore ſuo eveniret abſolutè diſpoſitam: ſed ex præſcientia tantùm Judaicæ malitiæ præviſam atque permiſſam. Deum alioqui, ſi Chriſtum abſolutè crucifigi voluiſſet, peccati crucifigentium debere eſſe Authorem.

6. *Apol. 8. & 9. aſſert.* Quando aliquid præſupponitur, quod in noſtra non ſit poteſtate, tum id quod per neceſſariam conſequentiam indè colligitur, ita eſſe neceſſarium, ut liberum eſſe non poſſit.

De

De Gratia Chriſti.

Gratiam Chriſti quamvis ſufficientiſſimè præparatam, relinquere nihilominùs voluntatem indeterminatam & indifferentem ad benè velle: eſſeque hoc de liberi actus ratione; ut à voluntate procedat tempore & naturâ priùs ad actum ipſum indeterminatâ ac indifferente, ideòque gratiam efficaciter & infallibiliter voluntates noſtras determinantem, actus ipſius tollere libertatem. 7. *Apol. aſſert. 8. 9. & 10. & ibid. in Apol. ad Cenſuram Duacenſem.*

Dei gratiam quantumcumque efficacem ſic eſſe in liberi arbitrii poteſtate, ut quamvis interdùm difficile ſit ei non cedere, poſſit tamen fruſtrà & abſque converſionis effectu eſſe adhibita, ſi videlicet acquieſcere noluerimus. 8.

Gratiam efficacem, de qua Scripturæ loquuntur, & Auguſtinus diſſerit, quâ fiat videlicet ut non poſſimus tantùm: ſed & faciamus, eſſe quemdam Dei concurſum ſpecialem & ſupernaturalem naturali ac generali ſimilem, qui peccatori ſufficienter excitato ita paratus ac præſto ſit, quemadmodùm alter naturali potentiæ videndi, ambulandi, &c. 9. *Apol. aſſert. 8. & 9.*

Ad explicationem ſententiæ de gratia ad ſingulos actus neceſſaria, ſufficere habitus infuſos, & illum jam dictum concurſum, eamque etiam D.Thom. eſſe ſententiam. 10. *Apol. aſſert. 8. & 9. & ibidem in Apol. Cenſur. Duacenſ.*

Duplicem ſtatuendam eſſe poſt lapſum perſeverantiam, alteram, quâ quiſque 11.

 per-

perſeverare poſſit, ſi velit; alteram quâ actu perſeveret. Illam communem eſſe juſtorum omnium, hanc paucorum tantùm quorundam, qui in gratia ſint confirmati.

12. *Habere omnes homines*, etiam infideles ac obduratos, ſemper & ubique ex parte Dei ſufficiens auxilium, quo ſe convertere & à peccatis exurgere poſſint: alioqui enim non fore Chriſtum Redemptorem omnium: futuram deindè quàm plurimis Dei legem obſervatu impoſſibilem, nec defuturam peccatoribus in die judicii de tranſgreſſione legitimam excuſationem.

13. *Quin & parvulos omnes*, in maternis uteris morientes, habere ſimiliter ſufficiens ſalutis remedium: alioquin enim eadem de Redemptore omnium Chriſto, ac relictâ excuſatione, ſequutura abſurda.

Apol. aſſert. 6. Apol. Aſſert. 2. Quocircà improbabiles etiam eſſe B. Auguſtini expoſitiones circa illud Apoſtoli, Deus vult omnes homines ſalvos fieri; nec ejus inſtituto congruentes. Idque propterea, ut de ſufficienti omnibus parata gratia ſenſus, qui Auguſtino non placuit, retineri poſſit.

Ad Apologiam trium aſſertionum de Scripturâ Sacrâ.

CAPUT PRIMUM.

QUod felix fauſtumque ſit, invocatâ S. Spiritus gratiâ reſponſionem aggrediamur ad Profeſſorum in Collegio hîc Societatis Apologiam, quam Cenſuræ noſtræ opponendam putarunt. Et apud acta quidem coram Illuſtriſſimis Reverendiſſimiſque DD. habita, aſſertiones in Cenſura propoſitas pro ſuis agnoſcunt, ſed quemadmodum eas in Apologia ſua explicant. Ergò ut à primo ſcripturæ articulo auſpicemur, videamus quemadmodum eas interpretentur, vel in hac ipſa poſtrema Apologiæ correctione, in qua quæ circa hanc partem priùs ſcripſerant ediderantque, & hærent etiamnum in hominum manibus, ita prorsùs immutarunt; ut à priore ſententia, majori ex parte, recedere videantur: quæ ſanè non explicatio, ſed caſtigatio eſt. Et tertia quidem hujus argumenti aſſertio, quæ ob peregrinam ſui novitatem animum noſtrum potiſſimùm offendebat, his erat concepta verbis: *Liber aliquis, (qualis*

lis fortè eſt ſecundus Machabæorum) *humanâ induſtriâ ſine aſſiſtentia Spiritus S. ſcriptus, ſi Spiritus S. poſteà teſtetur nihil ibi eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra.* Hæc tertia propoſitio, inquiunt, ſemotâ parentheſi, videtur omninò eſſe certa, niſi quæſtio ſit de nomine. Quod declaraturi exemplum ſubjiciunt, ſed quàm cum re propoſita conſentiens, quivis facilè intelligat.

Nam cùm propoſitio illa, uti expreſſa cernitur, generalis ſit, ad omne argumentum & cujuſvis generis Scriptorem, ut in Julii Cæſaris etiam commentarios, & Saluſtii alicujus hiſtoriam quadrare poſſit, exemplum nunc inducitur & piæ hiſtoriæ & pii Scriptoris. Cumque priùs humana tantùm induſtria Scriptori tribuatur, ac Spiritus ſancti aſſiſtentia ſemel ab eo ſubmoveatur, in propoſito nunc exemplo ex Spiritus S. inſtinctu ſcribere ponitur: nec omnis prorsùs, ſed ſingularis tantùm quędam Spirit. S. negatur aſſiſtentia.

Tertiò cùm in Aſſertione non aliud Spiritus ſancti requirant teſtimonium, quàm in ſcripto nihil eſſe falſum: imò (nunc quia quod verum eſt, noxium etiam legentibus & pernicioſum eſſe poſſit) tale conſtituitur teſtimonium, quo quæcumque ibi ſcripta ſunt, vera & ſalutaria eſſe firmentur.

Deni-

Deniquè, priore illo accedente teſtimonio, ſcriptum hujuſmodi ſcripturam ſacram effici aſſeritur: nunc verò non quidem ſcripturam fore ſacram, nec (quod altera illa habebat Apologiæ editio) authoritatem habiturum Scripturæ ſacræ; ſed authoritatem æquè infallibilem, atque habeat ſcriptura ſacra.

Mira profectò explicandi ratio, ut tam diverſum & alienum inducatur exemplum, ac cum propoſita regula quaſi ex diametro pugnans. Ecqua verò tam poſthac erit abſurda ſententia, quæ non in hunc modum defendi, ac vera eſſe videri poterit? Non hæc ſanè explicatio eſt, ſed tacita potiùs, immò manifeſta prioris ſententiæ correctio. Non enim, ut cætera diſſimulemus, de infallibilis veritatis, ſed ponderis ac dignitatis ejuſdem authoritate agitur. Hominis enim verbo, etſi divinum accedat ſuffragium, quòd falſum non ſit, numquam per hoc tamen Dei verbum efficietur, quando non id per os hominis locutus ſit vel dictavit Deus; qualis eſſe omnis Scriptura ſacra debet, eòque tantam quanta ipſius Dei eſt habere dignitatem atque authoritatem. Certè non hæc ſola vocabuli controverſia eſt; magno enim intervallo diſtant veritas æquè infallibilis, & æqualis authoritas,

quæ artificioſè hîc permiſcentur & confunduntur. Et tamen cùm hâc caſtigatione æqualem authoritatem poſterior Apologia detrahere velle videatur, tamen in ſubjecta Regiæ epiſtolæ ſimilitudine ſatis inconſtanter aſſerit eam rursùs, ac vindicat, ut quam hîc certam teneat ſententiam agnoſcere vix liceat, quamquam nec juvat eos; ſed pro nobis potiùs facit inducta ſimilitudo: Nam diplomata regia, præterquam quod niſi de ipſorum priùs mandato condi non ſoleant, etiam niſi ex mente ac præſcripto ipſorum non conficiuntur: & licet ea ipſi non ſcribant vel dictent (quia ejus rei peritiam ferè non habeant) præfixa tamen eorum authoritate formularia ſunt, ad quorum exemplum componere ſeſe ſcribæ debeant, ſtylumque formare. Tametſi in ejuſmodi edictis non tam Principum ſapientia quàm voluntas quæritur, ea enim eſt quę ad vim obligationemque legis imprimis neceſſaria eſt, illa non item. Alioqui enim quis neſciat longè plus ponderis & authoritatis habiturum eſſe librum qui à ſapiente quopiam Rege, uti Salomone, ſcriptus atque compoſitus ſit, quàm ſi teſtetur ille tantùm nihil ibi ineſſe falſi?

Quemadmodum & conſultatio aliqua juris à conſultiſſimo famoſiſſimoque legiſ-

giſperito condita majoris apud omnes erit authoritatis, quàm ſi ab alio quovis confectæ ſubſcribat ipſe tantùm, ac teſtetur nihil habere falſitatis. Ita ſanè nec par ſcripti authoritas atque majeſtas, cujus Spiritus ſanctus, omnis ſapientiæ fons, atque ipſa eſſentialiter ſapientia, ipſe ſit author; & cui veracitatis tantùm ferat teſtimonium. Nam alioqui quomodò & non Conciliorum Oecumenicorum par erit cum ſcriptura ſacra authoritas? & ipſa tamen publicum habent in Canonibus præſertim ſuis inque ipſo fidei ac morum dogmate Spiritus ſancti per os Eccleſiæ Sediſque Apoſtolicæ certiſſimæ ac infallibilis veritatis teſtimonium.

Et Beatus quidem Gregorius primas quatuor generales Synodos, ſicut quatuor Euangelia ſuſcipere ſe fatetur: verùm non æquatâ authoritate ac paris excellentiæ ac dignitatis exiſtimatione; ſed quod earum conſtitutiones velut à ſpiritu Dei profectas atque ex omni parte veriſſimas, reverenter ac incunctanter amplecteretur. *Lib. 2. Epiſt. 20. ſeu cap. 49.*

Aliud ergo eſt, librum eſſe canonicum, vel canonicam habere ſcripturæ ſacræ authoritatem; aliud veracitatis ſuæ à Spiritu ſancto obtinere teſtimonium. Idque ſpectaſſe Auguſtinum arbitramur, quando *Lib. 18. de Civit. Dei cap. 38,*

do libros quoſdam hiſtoricos, à prophetis licet conſcriptos, qui & in libris Paralipomenon non rarò citentur, ideò exiſtimat in canonis authoritatem non eſſe receptos, quod etſi ſecundum ſeriem veritatis, cui & ſacri Scriptores illi teſtimonium perhiberent, humanâ tamen diligentiâ tantùm induſtriâque abſque peculiari ſpiritus ſancti inſpiratione, conſcripti forent. Sentiens videlicet propheticum non hîc ſufficere teſtimonium veritatis, ſed adeſſe debere Spiritum ſanctum verbi ſui authorem ac inſpiratorem; alioquin exiſtere non poſſe ſcripturæ canonicæ authoritatem ac majeſtatem.

Quare non placet, nec ſatisfacit quod vel per fictionem ſuperior illa propoſitio accipienda dicatur; cujus quidem nullum hodiè in ſcripturis exſtet exemplum (ut de ſecundo Machabæorum libro ſecuris eſſe nobis jam liceat) non tamen ſit ejus impoſſibilis caſus, ſi Deo ita placuiſſet, eſſe enim conditionatam propoſitionem, quæ contradictionem non implicet. Nam ut hanc fictionem aliâ fictione ſubſiſtere poſſe donemus, nunquam tamen par libri ejus erit cum cæteris authoritas. Verbo enim Dei probatus veritatem quidem habebit infallibilem, verbi tamen Dei authoritatem (cùm hominis, non

non Dei, ſit verbum) eoque nec ſcripturæ ſacræ authoritatem habebit. Sed quid hâc fictione opus, ſi nullum ejus uſquam exſtat exemplum? Cùm tamen has regulas & propoſitiones conſtituere ſe profeſſores in prælectionibus ſuis fateantur: ut ſcriptura quid ſit, & quomodò à cæteris diſtinguatur, intelligi queat; niſi quia exemplum aliquod, in quo habere locum tertia regula poſſet, exiſtere ſenſerint, in ſecundo videlicet Machabæorum libro, quem etiam nominare non dubitarunt; niſi quod ad mitigandàm novitatis offenſioniſque invidiam, dubitandi particulam adiecerint: certè ad tertiam hanc aſſertionem priores duæ velut gradus quidam omninò jactæ videntur?

Quare prudenter ab eis factum imprimis, quod parentheſim illam de ſecundo Machabæorum libro tolli jubent (ita enim Apologiæ verba interpretari maluimus, quàm ut certam non eſſe opinationem illam ſignificare tantùm voluerit). Deindè quod ſcrupulum illum, quem de canone Judæorum adverſus eundum librum prior Apologia injiciebat; tollendum nunc diſſimulandumque putarint; tum quia hæreticorum ſit noſtri temporis contra libri ejus authoritatem argumen-

tum,

tum, tum quia ejus imbecillitatem Pſalmi Davidici coarguant; tres item libri Salomonis; nec non & Daniel Propheta, cæterique, quos hagiographos appellarunt, quos teſtis Hieronymus eſt in Judæorum canone non fuiſſe computatos: vel ſi eum viginti duobus libris metimur, certè extra hunc numerum & Judith, & Tobias, nec prior minùs quàm poſterior Machabæorum eſt liber, quos proindè neceſſum erit in ſimilem venire ſuſpicionem. Jam quod ad priores duas aſſertiones attinet, quas certas priùs haberi Apologia volebat, nunc autem probabiles tantùm eſſe, moderatiùs ſentit: ut donemus non fuiſſe ſacris ſcriptoribus novâ inſpiratione & revelatione opus, quâ de rebus conſcribendis, aliundè priùs ſatis cognitis, ab integro edocerentur: ſicut in Chriſti geſtis dictiſque uſu venit, quorum pleraque Matthæus & Joannes oculis ſuis auribuſque hauſêre: non tamen aliud nihil circa eos aut cæteros ſacros hiſtoricos operatam putamus Spiritus ſancti aſſiſtentiam, quàm ut eorum voluntatem ad ſuſcipiendam ſcriptionem ſemel excitaret, ac intellectum gubernaret, ne falſum aliquid ſcriberent.

Præfat. in lib. Reg. & Salom.

Nam & viſorum & auditorum etiam, quæ alioqui norant, non omnia ſemper

per eorum mentibus occurrebant, quæ proindè neceſſe erat in memoriam eis peculiari ac renovatâ illuminatione revocari; quemadmodum facturum ſanctum Spiritum Apoſtolis ſuis Chriſtus promiſit. Ille, inquit, ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis: ut videlicet eorum eſſent animo præſentia, ac certiſſimè etiam ſcirent eiſe illa ſic, & eodem modo facta, vel dicta. Prætereà inter tam varia geſta & verba (quoniam deſcribi omnia ſpiritus ſanctus nolebat) delectus habendus fuit, qualem & in ſuo Euangelio Joannes agnoſcit. Eum certè putandum non eſt humanâ tantùm induſtriâ abſque ſingulari Spiritus ſancti inſpiratione fuiſſe factum. Jam ad orationem ipſam & ſcripturæ fabricam quod attinet, ac texendi, ſtruendique ſermonis modum, omninò is videtur Spiritui ſancto immediatè tribuendus, ut non de Prophetis modò, ſed etiam hiſtoriographis ſacris dici potuerit, manum eos & calamos fuiſſe ſcribæ velociter ſcribentis: quod de ſecundi Machabæorum libri authore, prior Apologia diſertis verbis his negabat. Certè de Euangeliſtis loquebatur Auguſtinus, cùm de Chriſto diceret, dicta eum factaque ſua per Apoſtolos tanquam caput per manus conſcripſiſſe, & de

Ioan. 14.

Ioan. 20.

Sub fin. lib. de conſenſu Euangeliſt. cap. ult.

de tota generatim ſcriptura ſacra per Dei miniſtros ſpiritu ſancto, qui in eis operabatur, impletos, tanquam ipſius digitos omnem utriuſque teſtamenti confectam
14. nobis eſſe ſcripturam. Alioqui enim quo-
2. ad Tim. 3. modò verum erit quod ait Apoſtolus, omnem ſcripturam divinitùs eſſe inſpiratam, ſi neque res ipſa, neque ſermo fuerit à Deo inſpiratus. Neque enim ad hoc ſatis eſt primam illam inſpiratam eſſe ſcribendi voluntatem ac mentem ne aberret, cùm opus eſt dirigi. Nam ut ſcribendi voluntas, etiam cum Dei aſſiſtentia conjuncta, à ſcripto ipſo plurimùm diſtat; ita quoque, voluntates, ac ſcripti ipſius inſpirationes. Accipiamus enim prophanum ſcriptorem, quem in Eccleſiæ utilitatem, ad rem geſtam aliquam deſcribendam excitet Deus, cui & in ſcribendi curſu ita aſſiſtat, ut ne labi eum uſquam patiatur, in cæteris humanâ tantùm induſtriâ uti permittat: An ſecundum Apoſtoli mentem, divinitùs erit hujus inſpirata ſcriptura: an præ hac inſpiratione peculiare nihil habebit ſacra & canonica hiſtoria? Non id ſanè dicendum putamus. Quare non ſatisfacit illa diſtinctio, quâ dupliciter aliquid ex divina inſpiratione ſcribi poſſe dicitur, non tam explicando quàm eludendo Apoſtolico loco adhibita

Aliud

Aliud enim eſt, ſcripturam inſpirari, aliud ex inſpiratione ſcribi: quando illud ad rem & ſcriptum ipſum pertineat, hoc ad ſolum referri poſſit ſcribendi propoſitum ac voluntatem. Callidè verò atque ingenioſè ab eis factum: Quod quæ contra ſecundum Machabæorum librum in priori Apologiâ ex ſua perſonâ produxerant argumenta nunc (quoniam invidioſum id ſibi eſſe videbantur, ſimul etiam P. Bellarmini ſcriptis admoniti) ex Calvini potiùs opponunt perſonâ, ac proindè pro cauſæ commodo diluunt atque diſſolvunt: addentes Catholicorum hanc eſſe ad ea reſponſionem. Verùm ut eis crederemus, nomina eorum exprimere debuerant, ne de ſe tantùm locuti exiſtimarentur. Quamquam, an hoc ſibi Calvinus fundamentum, ut ajunt, ſtatuat, non liquet. Nam ejus antidotum, cùm hæc ſcriberemus, ad manum non erat, & in P. Bellarmini ſcripto, undè hoc Calvini argumentum reperiſſe videntur, non ſatis etiam hoc apparet.

Tom. 1. c. 1. de Verbo Dei cap. 5.

Nos certè putamus aliter reſpondendum: Inſpirationem ſcilicet Spiritus S. non excludere quærendi, legendi, meditandi, aut ordinandi ſermonis curam ac ſtudium; non magis quàm precationis atque jejunii: quemadmodum enim poſt 15.

ora-

orationem ac præmiſſum jejunium: ita & poſt meditationis laborem atque in-
Vide Bedam in princ. Euangel. Ioannis. duſtriam & rem, quam ſcribi velit, etiam ante non ignoratam, & ſermonis ſtructuram ac ordinem ſuggerere Spirit.S.poteſt; id quod non hiſtoricis tantùm ſacris, ſed Prophetis etiam evenire interdùm potuiſſe exiſtimamus. Neque enim iſti inter ſcribendum tunc demùm myſteriorum ac futurorum ſemper revelationem accipiebant, cùm de multis certum ac evidens ſit anteriorem in eis fuiſſe revelationem,
16. poſteriorem ſcriptionem. Certè in Ecſtaſi & raptu poſiti, non ſimul ea quæ videbant in litteras mittere poterant. In his ergo poſteà deſcribendis, cur non ut in cæteris rebus ſenſu, experientiâ, aut lectione cognitis, humanæ induſtriæ relictus locus aliquis cogitari queat; poſteà tamen inter ſcribendum ſuggerente poſt meditationis laborem Spiritu ſancto quænam horum &
Ierem.36.2. quomodò ſcribi vellet? Quare non debet Jeremiæ in dictandi facilitate ſine prævia cura exemplum vel ad omnia prophetica
Machab. 2. ſcripta extendi, vel ſecundo obſtare Machabæorum libro, quominus à Spiritu ſancto dictatus intelligatur; ſuggerente videlicet eo etiam poſt meditationis, induſtriæque humanæ laborem, & quænam è multis, & quibus quæque verbis ſcribi

ac

ac exprimi vellet. Sed quid hâc, inquiunt, ſermonis inſpiratione opus, maximè, ubi idoneum Scriptorem aliquem, & exprimendi, quod ſentiat, facultate inſtructum, Spiritus ſanctus, interveniat? Nam ut non deeſt in neceſſariis, ita in ſufficientibus non redundat. Reſpondemus imprimis quod ad res ſacras ſcribendas non invenit aliquem Spiritus S.; ſed facit idoneum. Ubi ſi replicent Dei munere factum quemquam priùs idoneum: Reſpondemus facultatem iſtam & idoneitatem non tam in habituali aliquo & inhærente perſeveranteque dono, quàm in præſenti poſitam inſpiratione Divina, quâ Spiritus Sanctus animos eorum, quos ad hoc officium delegerit, inter ſcribendum, afflat atque imbuit, ſuggerens eis ac mentibus eorum repræſentans quid, quo ordine ac loco; quibus verbis ſcribi aut enunciari velit; quæ non detur niſi quibus, & quando opus eſt.

Ut enim non deeſt in neceſſariis Deus, ita (ut ſuperioribus utamur verbis) in ſufficientibus minimèque neceſſariis non redundat nec diffluit. Alioqui enim ſi anteriorem aptitudinem & ſcribendi facultatem etiam Dei munere donatam in hagiographis omnibus requirimus, certè in Prophetis vel maximè, quos ad ſubli-

miora ſcribenda magis eſſe oportet inſtructos. Quod ſi ita eſt, non erit ergò nec iſtis ſermonis atque verborum neceſſaria inſpiratio, quando videlicet idonei jam ſint ad ea, quæ norint, deſcribenda, ſibique abundè ſufficiant, ut ſola eis Spiritus ſancti aſſiſtentia directioque neceſſaria ſit, nec-ubi fortaſſis humanâ fragilitate labantur aut peccent. Certè multa in eis occurrunt hiſtorica, quæ vel experientiâ, vel auditione perceperant, pleraque arcana & myſtica, quæ ſecretiore jam revelatione norant priuſquam ſe ad ea ſcribenda componerent. Quare ſi cæteris ſcriptoribus anterior facultas ſuffecit, cur non & in Prophetis? aut ſi in iſtorum ſcriptis verba omnia & orationis ſtructuram peculiari quodam inſpirationis modo, à Spiritu Sancto eſſe volumus, cauſa non eſt, cur, non & de cæteris ſacris Scriptoribus idem dicamus eſſe Judicium, patiamurque Spiritum Sanctum ſublimiori ac excellentiori modo ſcribis & Amanuenſibus, quàm homines, uti. Ubi nec ſtyli inter Scriptores ſacros obſtare nobis diverſitas debet, quò minùs à Spiritu Sancto & ipſe profectus putetur. Nam hæc ipſa varietas etiam inter Prophetas invenitur, eloquentiùſque Iſaias aulicus ſcripſit, quàm Paſtor & ruſticus Amos,

quorum

quorum tamen verba ſingula, totuſque ſermo à Spiritu Sancto inſpiratus conceditur. Sed nimirùm utebatur his organis Deus, ſervatâ cujuſque qualitate ac conditione, quando hæc ipſa varietas ſapientiæ etiam ipſius conſilio ſubſerviebat. Quæ verò de ſynonimis ſubſtituendis ver- 18.
bis, & tranſlatione in aliam linguam in priori Apologia objiciuntur, eodem Propheticæ ſcripturæ diluuntur exemplo, cujus nimirùm verba omnia immediatè fatentur à Spiritu Sancto dictata. Porrò quod ſecundi Machab. libri Scriptor ve- *Cap. 15.*
niam petere ſe dicat, ſi minùs convenienter hiſtoriæ dixerit, videri non debet in Spiritus Sancti redundare injuriam.

Neque enim falſitatis aut erroris alicujus, ſed minùs accurati tantùm ſermonis & veniæ petitio eſt; cujuſmodi & apud Paulum reperire eſt, qui dum ſermonis *2. Cor. 11.*
confitetur imperitiam, quid aliud, quàm ejus veniam quodammodò poſcit? Verùm ibi non aliud quàm tacita quædam (ſed 19.
mirâ dignatione ad humanæ inbecillitatis accommodata ingenium) intelligenda ſit admonitio, ne quis verborum & orationis humilitate offenſus à ſacra lectione reſiliat.

At neque ſuperioribus obſtat, quod *Præfat. in Luc.*
B. Ambroſius plurimos quidem laboraſſe

 dicat,

dicat, & Euangelium ordinare conatos, ſed ſolos quatuor Euangeliſtas abſque ullo ſcripſiſſe conatu atque molimine. Loquitur enim de humano conatu qui fruſtraneus ſit, nec facilem felicemque reperire potuerit exitum; qualem tamen habuerint quatuor Euangeliſtæ, non habuerit Baſilides aliique complures, qui & ipſi Euangelium conati ſunt ſcribere; ſed conati tantùm, præſtare autem, Dei gratiâ deſtituti, non potuerunt. Ubi non negat Ambroſius quin ante ſcriptionem adhibere curam & induſtriam aliquam Apoſtoli potuerint in rerum ac ordinis ſtatuendi meditatione, ſed quod cœptum ſemel ab eis ſcribendi opus, ſummâ facilitate & felicitate abſque laborioſo molimine ad finem decurrerit, offundente videlicet mentibus eorum Spiritu Sancto quid potiſſimùm, quo ordine, quibus verbis perſcriberent; id quod noſtram planè confirmat ſententiam. Hæc enim ejus ſunt verba ſuper illud procœmii Lucæ Euangeliſtæ, *quoniam multi conati ſunt &c.* Conati utique illi ſunt, qui implere nequiverunt, ergo multos cœpiſſe, nec impleſſe etiam S. Lucas teſtimonio locupletiore teſtatur, dicens, plurimos eſſe conatos. Qui enim conatus eſt, ordinare ſuo labore conatus eſt, nec implevit. Sine

conatu enim ſunt donationes & Dei gratia, quæ ubi ſe infuderit, rigare conſuevit, ut non egeat, ſed redundet Scriptoris ingenium. Non conatus eſt Matthæus, non conatus eſt Marcus, non conatus eſt Joannes, non conatus eſt Lucas; ſed divino ſpiritu ubertatem dictorum rerumque omnium miniſtrante ſine ullo molimine cœpta compleverunt. Cæterùm ad Anomæorum & Eraſmi errorem quod attinet, quàm illæ aſſertiones ac potiſſimùm tertia, ut ſuis concepta eſt verbis, non procul ab eo diſcedere viſa nobis haud injuriâ fuerit. Judicium hîc adſcribere placet antedicti P. Bellarmini, quod eò pluris Societatis Jeſu Profeſſoribus faciendum eſt, quod & domeſticum ſit, & ejus omninò, quem Romæ docentem audierint, & à quo, quæ hîc tradiderunt, pleraque omnia ſe accepiſſe fatentur. Audiamus ergo quid, de hoc ipſo agens argumento, ſcriptum reliquerit.

Poſtrema, inquit, eorum hæreſis eſt, 20.
qui in ipſis B. Pauli Epiſtolis, aliiſque ſa- *Tom.1. c.1. de Verb.Dei. cap. 6.*
cris ac divinis libris non omnia ſcripta eſſe volunt dictante Spiritu Sancto; ſed aliqua interdùm ſolâ providentiâ ac ratione humanâ duce. Quocircà totam Epiſtolam ad Philemonem ut more humano ſcriptam contempſerunt. Laborabant olim hoc

 errore

errore tum Anomæi apud Epiph.hæreſ.67. tum etiam alii quidam apud Hieron.inc.5. Micheæ & præfatione Commentarii epiſtolæ ad Philemonem, & apud Aug. lib. 2. contra adverſ. legis & Prophet. c. 2. Noſtro ſæculo Eraſmus eandem hæreſim renovavit &c. Hactenùs ille.

Certè non poterat Cenſuram noſtram clarioribus confirmare verbis. Quamquam & vehementior ejus, quàm noſtra, oratio eſt, ut qui vicinias tantùm, ac ejus erroris acceſſum notaverimus; quia videlicet etiamſi Profeſſorum ſententia nullum in ſacris libris errorem cum Anomæis, aut memoriæ lapſum cum Eraſmo agnoſcat; principia tamen ea ſtatuunt, undè opinationem hanc illi colligebant. Quamquam quos reprehendit Hieron. præfatione ad Philemonem, non lapſum aliquem Paulinæ epiſtolæ, ſed humanum tantùm ſtudium ac induſtriam objiciebant.

Et hæc quidem de hoc argumento dicta ſufficiant, nam ad ea quæ ſub Apologiæ finem ſequuntur ex ſuperioribus non jam erit difficilis reſponſio.

Ad

Ad Apologiam aſſertionis primæ ac trigeſimæ de Prædeſtinatione.

CAPUT II.

Circa aſſertionem ſeu articulum de prædeſtinatione annotaveramus, certitudinem eam, cujus in definitione prædeſtinationis B. Auguſtinus feciſſet mentionem, non rectè explicari præſuppoſitâ præſcientiâ conditionatâ; quia nimirùm præſcientiam ille intelligeret abſolutam, eorum videlicet, quæ facere ipſe abſolutè decreuiſſet, atque hinc etiam abſolutè præſciret.

Hujus occaſione prolixè docet Apologia tum hoc loco, tum circa aſſertionem trigeſimam totam prædeſtinationem præſupponere conditionatam hujuſmodi præſcientiam, atque ipſam hinc ejus originaliter pendere certitudinem. Quare & nos de ea neceſſe eſt aliquid dicere. Et principio quidem negant à nobis intellectam, quam dixerunt conditionatam præſcientiam, dum eam hoc pacto interpretati ſumus, ſi acceptare gratiam & perſeverare homines voluerint; nimirùm ſecuti ejus vocis notiſſimam acceptionem ác uſum.

uſum. Sed facilè patimur, ut eorum hac in parte mentem dicamur non eſſe aſſecuti, modò tamen ſaniorem aliam explicationem adferant. Eam ergò audiamus. Conditionatam, inquiunt, præſcientiam intelligimus, quâ præſciat Deus quid quiſque facturus ſit, ſi hoc vel tale excitationis, motionis, ſuaſionis genere menti ejus congruenter vocetur: quâ prævifione præſuppoſitâ Deum, ajunt, hanc ipſam vocationis gratiam electis ſuis præparaſſe, atque hanc eſſe prædeſtinationem, cujus etiam omnis certitudo ex conditionata hujuſmodi præſcientia pendeat: ſine qua difficillimè explicari poſſe volunt, quomodò cum Dei prædeſtinatione liberum ſervetur arbitrium. Sed nec iſta minùs explicatio diſplicet, neque ullo pacto declarandæ prædeſtinationis apud Auguſtinum definitioni congruit, ſed adverſatur potiùs.

Nam non eſt quidem abſque præſcientia Dei prædeſtinatio, quæ & Auguſtino cauſa fuit, cur ejus in ſua definitione faciendam putarit mentionem; ſed non inprimis, quæ Dei præordinationem antecedat. Neque enim ideò cuiquam vel gratiam, vel gloriam præparat Deus, quia eam ſe daturum præſcierit, ſed contrà ideò præſcit potiùs, quia abſolut dare

dare decreverit, præſcius videlicet eorum quæ ſit ipſe facturus. Deindè nec illa intelligenda præſcientia, quæ conditionata ſit, quâ præſciat videlicet Deus acceptaturum hanc gratiam atque ſalvandum, ſi hoc vel illo modo vocetur, ſed abſoluta, quâ præſciat videlicet, quid ſit ipſe facturus, quomodò eam & Aug. ibidem & alibi frequentiſſimè explicat. Quod ut rectiùs pleniùſque intelligatur.

Obſervandum B. Auguſtinum, præſcientiam, de qua loquitur, non ad diverſum aliquod, ſed ad idem prorsùs referre objectum, ad quod ipſam præparationem; ad omnia videlicet Dei beneficia, quibus certiſſimè liberari ait quicumque liberantur: Atqui conditionata præſcientia non hæc Dei beneficia; ſed humanæ reſpicit voluntatis affectum atque inclinationem, quid videlicet factura ſit, ſi hoc vel illo modo moveatur. Non ergo de tali præſcientia, intelligenda Auguſtini definitio: ut ſenſus ejus ſit, prædeſtinatio eſt præſcientia quid facturus ſit homo, ſi ſic vel ſic à Deo fuerit vocatus, & beneficiorum ejuſmodi præparatio; ſed eſt præſcientia ipſorum, quæ donaturus ſit, beneficiorum, ac eorumdem certa atque efficax præparatio. Prorsùs, inquiunt, & nos abſolutam ſtatuimus præſcientiam, ſed quam altera 21.

conditionata præcedat. Verùm quæ Auguſtino, ejuſque definitioni, imò etiam prædeſtinationi ipſi impertinens ſit. Nam ſi abſolutè dare decrevit, quid hâc præſuppoſitiòne opus? Quia niſi hâc, inquiunt, admiſsâ, non videmus quemadmodum cum prædeſtinatione liberum arbitrium conciliari poſſit.

Sed videndum ſanè eſt, ne dum Veterem & vulgatam liberi arbitrii cum prædeſtinatione conciliandi viam relinquimus, ex ipſa novitate periculum incurramus; dumque incautiùs charybdim conamur effugere, in Scyllam incidamus.

1. *Ratio.* Nam primùm quidem ſermo iſte; prædeſtinatio gratiæ conditionatam præſupponit veniendi præſcientiam; novus in Eccleſia, peregrinus ac inauditus eſt, ac ne ſcholaſticis quidem hactenùs DD. Imò nec cæteris hujus tempeſtatis Scriptoribus cognitus. Undè non immeritò ipsâ ſuâ inſolente novitate auditores offendit Lectoreſque perturbat, eoque periculi alicujus metum ac ſuſpicionem haud injuria ingerit.

2. Atque ideò etiam magis, quod ſenſum manifeſtè præ ſe ferat, quem non parùm putamus erroneum: videl. obedire gratiæ & vocantem ſequi, præſcitum eſſe tantùm & non prædeſtinatum. Si enim

enim non ſolùm vocare, ſed etiam vocantem ſequi, prædeſtinationis effectus eſt, non prædeſtinatio talem ullam præſcientiam præſupponit, ſed è diverſo potiùs præſcientia prædeſtinationem. Ideò enim Deus videt, quod ſic, vel ſic vocati venirent, quia ſic vocando facturus eſſet ut venirent. Cùm ergò non ſolùm vocare, ſed etiam vocantem ſequi ad prædeſtinationis gratiam pertineat, ita ſermo ille hæc duo dividit, ut unum ad prædeſtinationem pertinere ſignificet, alterum verò ad præſcientiam.

Tertiò talis præſcientia nihil facit ad prædeſtinandi cauſam. Nec enim ideò prædeſtinat aliquem Deus ad prædeſtinationis gratiam, quia ſic vocati prævidet obedientiam. Siquidem hoc eſſet prædeſtinationem gratiæ ſecundum meriti præſcientiam aſſerere. Cùm ergo hæc præſcientia nihil ad prædeſtinationem gratiæ faciat, cur eam prædeſtinatio præſupponit? An, ſicut ajunt in Apologia ad Cenſuram Duacenſium, præſcientia in Deo neceſſaria eſt, liber vero prædeſtinationis actus? Cur ergo non etiam addunt, quod prædeſtinatio ad gratiam totam Trinitatem, filiique generationem atque Spiritus Sancti proceſſionem præſupponat? 3.

Quartò, prædeſtinatio nullam in homine 4.

mine affectionem, diſpoſitionem, aut præparationem prærequirit, aut præſupponit, ſed ipſa eſt, quæ hominem, quem vult, & quomodò vult, præparat, diſponit, & afficit. Non ergo præſupponit humanarum diſpoſitionum atque affectionum præſcientiam, ut ſic vocet in tempore, quomodò videt homines natos & diſpoſitos ut ſequantur, quemadmodùm Ruardi quædam, paulò poſt citanda, verba ſonant.

5. Quinto loco, quærimus undè Deus præſciat hunc ſecuturum, ſi hoc vel illo modo vocetur. An quia facturus ſit ipſe ut ſequatur, ideoq́ue præſciat, quia facere conſtituerit. An quia inter hanc Dei vocationem ac ſequendi in homine obſequium ac obedientiam, neceſſarium putent eſſe nexum, ut poſterius ex priore neceſſariò conſequatur. An poſtremò quia talem videat voluntatis affectum ac propenſionem, ut ſic vocata, excitata, ſuaſa, ex ſeipſa deindè ſuiſque viribus ſit ſecutura? Unum quod volent è tribus eligant. Si primum, illud nobiſcum ſentiunt; ſed ubi ſequatur, non præſupponatur præſcientia: Sin autem ſecundum ſumant, & liberi arbitrii obſecundationem neceſſariò connexam eſſe velint; ut tali poſitâ vocatione, vitari non poſſit obedientia.

dientia. Ergo cùm jam abſoluta accedit vocandi voluntas, ſequitur juxta ipſorum ratiocinationes abſoluta veniendi neceſſitas. Quid ergo ad commodiorem liberi arbitrii defenſionem iſte profuerit explicandi modus, propter quem tamen excogitatus dicitur? Poſitâ enim tali vocatione, non eſt homini recuſare liberum, quando ſic vocatus non poſſet non venire. At verò ſi fatentur, non eſſe ita neceſſariò connexa, ſed conſiſtere ſimul poſſe, ut ſic vocatus non veniat; probare, quantum arbitramur, non poterunt, non hoc ſæpiùs evenire, ut quidam convenientiſſimè licet vocati non obſequantur. Statuamus ergo illa accidere, quænam illa tunc erit conditionata præſcientia? nonne error potiùs quàm præſcientia. Non enim eſt vera conditionata hæc, ſi ſic vocetur, veniet; nec juxta hunc miſericordiæ intellectum vera Auguſtini ad Simplic. ſententia, Si Deus miſeretur, volumus. Ergo circa ejuſmodi conditionatam non ſcientia, ſed error verſetur neceſſe eſt. Nec enim conditionatè poſſumus ſcire conſecuturum eſſe Petrum vitam æternam ſi perſeveret, niſi vera hæc propoſitio ſit, Petrus vitam conſequetur, ſi perſeveraverit uſque in finem. Et hæc quidem propriè loquendo de conditiona- *Lib. 1. q. 2.*

ta

ta præſcientia. Sed neque abſoluta ve- niendi præſcientia ineſſe Deo videri queat, ex abſoluta voluntate quoquo modo trahendi; cùm non ſequatur, Deus vult illum trahere quomodò videt ei convenire ut veniat, ergo veniet: eò quòd nullus ſit trahendi modus, cum quo ſequens obſecutio neceſſariò cohæreat. Quânam ergo ratione certò ſciet Deus, quâ vocatione poſitâ, quid lapſorum quiſque facturus ſit? Nulla eſt rerum neceſſaria connexio, niſi præter talem vocationem ſpeciali gratiâ in eo operari velit ut veniat; aut ſanè (quod tertio loco propoſitum erat) talem prænorit vocati ad veniendum affectionem ac præparationem, ſive li-
22. beri arbitrii ex ſeipſo futuram determinationem, ut indubiè ſit ſecuturus; quo modo videt quâ quiſque tentatione poſitâ caſurus ſit, quod optimè nôrit, quomodò & quantumcumque ad lapſum inclinatus ſit, atque propendeat. Hoccine ergo eligunt, ut talem eſſe velint homini cuique certam ad conſentiendum diſpoſitionem, propenſionemque bonam, ſi hoc aut illo modo vocetur, ſicut eſt homini corrupto certa diſpoſitio ad cadendum, ſi ſic vel ſic fuerit ad id impulſus?

Quod ſi placet, videant ſanè quàm id ſentire ſit tutum: quando juxta iſtam opinio-

opinionem, tam pia hæc ad credendum conſentiendumque affectio, & ſalutaris inclinatio præparatioque ſive determinatio & electio voluntatis, naturæ corruptæ tribuitur, & gratiæ detrahitur.

Huc accedit quod dum prædeſtinandi 23.
propoſitum ex tali conditionata præſcientia pendere dicitur, occultum ibi aliquod ſignificari videtur prædeſtinationis meritum, quod in liberi arbitrii inſit obedientia, ſi hoc aut illo modo vocetur; ut quamquam non ex juſtitia, tamen vel de congruo talis vocatio præbeatur. Nam & ad ejuſmodi vocationem ſequi atque obedire velle, cùm hoc ipſum ſit credere & ad Deum venire, non poteſt non meriti alicujus rationem habere: Etenim utcumque hanc erroris ſuſpicionem amoliri conentur, negantes talem gratiam propter hanc prævisam obſequendi præparationem, donari, quia videl. pluribus ſimiliter aut etiam meliùs affectis, ut Tyriis atque Sydoniis minimè detur; non tamen ſatisfaciunt. Neque enim propterea nullum eſt impetrandi meritum ſupplex eleëmoſinæ petitio, quia nonnullis ſic petentibus ex aliqua juſta conſideratione negetur. Quemadmodum ergo ad obtinendam eleëmoſinam invitat, & procurat ſupplex illa miſericordiæ flagitatio; ita non poteſt non provocare Deum ad vocandum

præ-

præcognita illa tam pia ſequendi voluntas, animique tam laudabilis propenſio. Ubi ſi reſpondeant, conſenſum eum & obedientiam, ſeu liberi arbitrii obſecutionem, quâ convenientem ſibi vocationem ſequatur, ipſius eſſe vocationis effectum, ideoque nihil minùs quàm meritoriam eam ſtatui vocationis cauſam: Nos ex adverſo replicabimus, ſi effectus eſt, non ex ejus præſcientia, prædeſtinatio, cum cauſa ſit, præparatur; ſed ex cauſæ præparatione illius eſt præſcientia. Quo fit, ut cùm dicitur ex tali præſcientia veniendi, vocandi eſſe prædeſtinationem, non poſſit illa liberi arbitrii obſecundatio effectus ſubire rationem, ſed cauſæ; & cujus ſanè, nisi meritoriæ? Undè & alterum iſtud perſpicitur hujus ſermonis periculum, quo ex tali præſcientia prædeſtinatio dicatur profluere, ne in vetus illud recidamus, *Gratiam Dei ſecundum merita no-*
6. *ſtra dari.* Refelli verò hæc ſententia ex parvulorum poteſt exemplo, qui per gratiam regenerati ex mortali hac vita evocantur, in quorum ſanè prædeſtinatione nullum præſcientiæ huic eſt invenire locum. Nam eſſe prædeſtinatos eos, qui tanto & tam gratuito Dei beneficio, de periculis ac ſæculi hujus erepti turbinibus, ad beatum Dei regnum transferuntur, negari non poteſt.

Iſtis

Iſtis ergo parvulis, cujus obedientiæ præſcientiâ hanc regenerationis gratiam divinâ prædeſtinatiône dicant eſſe præparatam? An quia præviderit eos Deus, ſi baptizentur, moxque baptizati ex vita hac raperentur, juſtos ſalvoſque futuros, & hâc præſuppoſitâ præſcientiâ quoſdam baptizari, & confeſtim ex hac vita evocari voluiſſe, atque hanc Dei voluntatem talium parvulorum eſſe prædeſtinationem? Verùm cùm hoc de prædeſtinatis parvulis dicunt, quid de non prædeſtinatis cogitandum relinquunt, niſi tales baptizari, ſicque baptizatos mori atque ſalvari Deum noluiſſe? Et ubi tum erit illud Apoſtoli, quod in ore ſemper habent, quia Deus omnes homines ſalvos fieri velit? Non enim illos, quos non prædeſtinavit, nec baptizari voluit. Nec dici 24.
poterit, quod quantum in ipſo eſt, prædeſtinarit eos, baptiſmoque pro omnibus inſtituto regenerari voluerit, qui ſi tantum bonum eis voluiſſet, nulla omninò res tam propenſam ejus impediviſſet voluntatem, facileque ad id naturalem, liberarumque cauſarum concurſum attemperaſſet. Deindè cur præſcit juſtificandos (ſi baptizentur) parvulos, niſi quia velit ipſe per ſuum Sacramentum juſtificationis gratiam infundere? Undè intelligitur, hoc quoque loco, non voluntatem præſupponere præſcientiam,

tiam, ſed è contrario præſcientiam præſuppoſere voluntatem.

Reſp. ad object. Sed nunc audiamus quomodò hanc ſuam de conditionata præſcientia ſententiam confirmare, ac ejus antiquitatem oſtendere Profeſſores conentur. Docet hoc, inquiunt, apertè Auguſtinus libro 1. ad Simpl. cap. 2. Cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodò videt congruere illi, ut non reſpuat vocantem; cujuſmodi prætereà multa eodem loco haberi ajunt. Ubi velut præoccupatione uſi, reſponſionem ſibi, quam fugiunt, noſtram objiciunt: Librum illum ab Auguſtino juvene ſcriptum ante exortam hæreſim Pelagianorum, poſteà autem
25. ſeſe ſatis correxiſſe in Libris, quos ſcripſit. poſt hæreſim illam, jam factus ſenex, eoque non debere præjudicium aliquod ex eo libro fieri. Quod refellentes, Calvini hoc effugium eſſe ajunt, cùm aliquid in hac materia ex libris Auguſtini de libero arbitrio, vel ex quæſtionibus ad Simpl. adfertur. Eum enim in libro ſuo de prædeſtinatione dicere, ne in una quidem ſyllaba ſe ab Auguſtino in ipsâ prædeſtinatione differre. Ubi autem contrarium aliquid ſcripſiſſe videatur, juventutis hoc tempore factum, quando totus Philoſophiæ intentus, Manichæorum hæreſes refellebat. At quæ ſenex, Religioſus &. Spiritu ſancto plenus

contra Pelagianos ediderit, ea pro ipſius opinione facere. Ubi deindè quærunt, utri B. Auguſtini authoritatem contra hæreticos magis labefactent, Illine qui cum Calvino ejus libros aliquot rejiciunt, an qui totum Auguſtinum, hoc eſt, libros ejus omnes citra exceptionem recipiant? Ubi quærimus ab eis primùm, utrum B. Auguſtini libros in juventute ſcriptos, ac inter cæteros inchoatam etiam expoſitionem Epiſtolæ ad Rom. ita recipiant, ut & ea probent, quæ ipſemet Auguſtinus poſteà retractavit; quale eſt inter reliqua, prædeſtinationem gratiæ eſſe ex prævi ſo fidei merito, quod non ex Dei dono, ſed ex nobis habeamus. Id ſi dicere non audebunt, quomodò totum Auguſtinum libroſque ejus omnes ſine exceptione recipiunt? Fateantur ergo ſeſe correxiſſe in aliquibus Auguſtin. quæ Tyro adhùc & novitius ſcripſerit. Sed librum ad Simplic. dicent abſque hujuſmodi retractatione ab ipſo jam ſene probatum, nec horum quicquam ſaltem in eo correctum. Verùm dicendum primùm eis erit, Calvinum de hoc locutum non fuiſſe libro; ac de hoc ipſo conditionatæ præſcientiæ argumento.

Lib. 1. retract. cap. 23.

Longè enim aliud ille agit, totis in hoc viribus incumbens, ut prædeſtinationis prædicatione liberum arbitrium tollat, quod

olim ab Auguſtino aſſertum, poſteà vult videri everſum. Sed quid ad cauſam hoc noſtram, qui liberum arbitrium cum Dei prædeſtinatione ſimul aſſerimus, & ab Auguſtino nec poſteà quidem unquam ſublatum affirmamus? Sed viſum Profeſſoribus fuit, lege talionis recriminatione hâc uti, ut quia Pelagianiſmi affinitatem in eorum ſententiis notaveramus, ipſi nos viciſſim in ipſo ſtatim argumenti hujus ingreſſu Calviniani nominis, velut reſponſionis Societate quâdam quoquo pacto gravarent, odio invidiâque perfunderent. Nam non arbitramur eos Calvini habere de prædeſtinatione librum, undè certò eis conſtare queat, de hoc eum Auguſtini libro, vel argumento fuiſſe locutum, quod neque ex Bartholomæo Camerario ſatis apparet, undè repetiſſe eos verba illa cognovimus.

De gratia & lib. arb. c.2.

Verùm ut propiùs ad rem accedamus, non credimus cujuſque hîc noſtrum eam fuiſſe reſponſionem, ut librum ad Simplic. in argumento præſertim gratiæ correctum ab Auguſtino fuiſſe dixerit. Id fortaſſe auditum ex aliquo fuit, eo libro diſputare potiùs, quàm planè pleneque gratiæ Chriſti vim naturamque explicare; ac proindè ſententiam de illâ ejus ex poſterioribus, quæ jàm ſenex & contra Pelagianam hæreſim vario exercitatus certamine, clariùs & accuratiùs pro

gratia Dei locutus ſit tutiùs certiuſque petendam eſſe. Id ergo dixiſſe aliquis noſtrum forſitan potuit, ſed ſuam ibi de gratia vel prædeſtinatione correxiſſe poſteà ſententiam, non arbitramur. Nec, ſi cui aliquando hoc excidiſſet, probandum putaverimus, præſertim cùm libro de dono perſeverantiæ dicat, cœpiſſe tum ſe in eo ad Simpl. libro de Chriſti gratia pleniùs ſapere. Et lib. 2. retract. ita ſe dicat in libris pro libero arbitrio diſputaſſe, ut Dei tamen gratiâ vicerit. Quod propterea ab eo dictum videtur, quia cùm prioribus nonnullis libris fidem cuique non ex Deo, ſed ex ſeipſo eſſe putaſſet, in eo primùm ad Simpl. libro etiam Dei gratiam eſſe fidem, Deo revelante, & agnoſcere & ſcribere, correcto errore, cœperit. Deindè quod gratiæ Chriſti, quanquam brevibus verbis, luculentum tamen illic teſtimonium perhibeat, ita ſcribens: Illud, inquit, neſcio quomodò dicatur, fruſtrà Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus, ad eandem quippè miſericordiam pertinet ut velimus. Ac rursùs paulò antè, non poteſt, inquit, effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtrà ille miſereatur, ſi homo nolit. Quæ notari à Profeſſoribus & expendi verba velimus, an cum eorum de efficacia Gratiæ Chriſti ſententia ſatis conſentiant? nihil er-

Cap. 20. & lib. 1. de præd. SS. c. 4.

Cap. 1.

De præd. SS. c. 4.

26.

Lib. de dono perſev. cap. 20. & 21. go eo libro ab Auguſtino dictum, quod gratię vel prædeſtinationis veritati repugnet, etiamſi, ut fatetur, non omnia plenè ſatis expreſſeque huc pertinentia dixerit, ſed contra Pelagianos diligentiùs id poſteà operoſiùſque fecerit. Nam & cœpiſſe tantùm de gratiâ Dei pleniùs tum ſapere, perficienterque deinceps, Deo miſerante, ſcripſiſſe, non à perfectione cœpiſſe clariſſimè profitetur. Quid ergo, inquiet quiſpiam, citata illa verba Auguſtini ſibi volunt? In primis non ibi prædeſtinationis naturam & rationem explicat, ſed divinæ vocationis peculiarem, nec omnibus communem, proponit modum; quo ſic nonnullos vocet, ut norit ſecuturos; quod haud dubiè verum eſt; quia videl. gratiæ ſuæ non ignoret vim & energiam, quâ occultè ſic quoſdam interiusque vocet, ut vocando convertat obſequenteſque faciat; & ideò videat ſic vocatos non eſſe repugnaturos, quia vocando facturus ſit ut non repugnent: ut nimirùm ità hoc dictum ſit, quomodò ſi diceretur, ſic vocatum eſſe à Chriſto Lazarum, quomodò ſciebat eum eſſe ſuſcitandum. Ubi efficacis vocationis gratiam etſi non planiſſimè pleniſſimeque explicarit, nihil tamen dixit, quod ei adverſetur, & commodum habere ſenſum non poſſit. Certè de conditionata præſcientia toti prædeſtinationi præ-

ſuppo-

ſupponenda, nihil neque hoc loco, neque alibi tradidit unquam. Neque ante hos quiſpiam ſcriptorum fuit, qui eam ex hiſce verbis colligendam putarit. Et citant quidem ad Marginem D. Ruardum, cujus hæc citato loco ſunt verba: hæc eſt differentia inter filios Dei & alios, quod illi vocentur quo modo natos & diſpoſitos novit Deus, ut ſequantur, ſicut dicit, inquit, Auguſtinus q. 2. ad Simplic. Cui & Driedonem adjungunt non uno loco ſimiliter loquentem. Sed numquid quia eadem illa uſurpant Auguſtini verba, ideò conditionatam præſcientiam iſtam vel indè colligunt, vel uſquam ante omnem prædeſtinationem cogitandam præſupponendamque eſſe tradunt? Nihil minus ſanè, nec, ſi facerent, in tam nova collectione ſequendos putaremus: quemadmodum nec illa, uti ſonant, Ruardi verba, ut paulò antè admonuimus, placere ſatis poſſunt.

Art. 7. pag. 320.

Lib. de cap, pag. 135. & de concor. pag. 51.

Profert Apologia & alterum pro hac conditionata præſcientia Auguſtini locum ex lib. de perſeverantiæ dono repetitum, quem ille jam ſenex conſcripſerit; ubi dicat ineſſe quibuſdam divinum naturaliter lumen intelligentiæ, ut ſi apta ſuis mentibus vel ſigna videant, vel audiant verba, convertantur ad fidem. Et hanc dicere eum, addit, prædeſtinationis eſſe gratiam, quæ non detur

Reſponſ. ad alterum Auguſt. locum de dono perſev. c. 14.

 reprobis.

reprobis. Reſpondemus imprimis nec eum Auguſtini locum ad præſentem admodùm pertinere cauſam. Quin & ipſa verborum ejus tam parùm fidelis, nec ex fonte ipſo repetita citatio, indicio eſſe poteſt, quàm non ſatis attentè ac diligenter expenſus hic locus ſit: undè nec mirùm, ſi parùm tempeſtivè, ac præter authoris mentem productus fuerit. Nam primùm quidem non ibi de prædeſtinatis, ſed de reprobis Tyriis ac Sydoniis Auguſtinus loquitur. Deindè non docet eo loco, quod ſi omninò prædeſtinati eſſent, in eo prædeſtinationem eorum futuram, quod talia Dominus prædicationis & miraculorum exhibere illis beneficia voluiſſet, quibus eos ad fidem movendos præſciſſet; ſed in eo potiùs, quod fidem eis dare voluiſſet, & ideò verba ſignaque etiam adhibere convenientia, per quæ operante interiùs Deo, ad fidem converterentur. Sed ea de re plura infrà, quando de gratiâ ex propoſito diſſeretur. Non ergo vel iſte Auguſtini locus pro conditionata eis præſcientia quicquam patrocinatur. Verùm iſta confutandæ propoſitæ ſententiæ ſufficiant, ex quibus facilè intelligi poſſet, conditionatam hanc præſcientiam, quomodocumque accipiatur, prædeſtinationis veritati non ſolùm impertinentem eſſe, ſed etiam adverſam: Auguſtino explicando non ſolùm minimè

nimè congruere, verùm impedimento etiam eſſe; neque peregrinam modò ac recenter excogitatam videri, ſed non exiguum & Maſſiliani Pelagianique erroris periculum habere: Ex quibus facilis reſponſio jam eſt ad Apologiam Aſſertionis trigeſimæ, quâ tueri conantur, certitudinem numeri prædeſtinatorum, non ex abſoluta; ſed conditionata Dei præordinatione præſcientiaque pendere. Subverſo ſiquidem conditionatæ præſcientiæ fundamento, cætera quæ ſuperſtruuntur neceſſe eſt corruant.

Ad Apologiam Aſſertionis Vigeſimæ, De electione ad gloriam immediatâ.

CAPUT III.

Altera quæ circa prædeſtinationem verſatur hîc quæſtio, de ordine inquirit divinæ prædeſtinationis, ſitne videlicet ſecundum noſtrum intelligendi modum, prior in Dei mente ad gloriam, electio & præordinato, an ad gratiam, quâ pervenitur ad gloriam: ſive utrum prædeſtinatio ad gloriam ſit ex præſcientia meritorum, an contrà, præſcientia meritorum ex prædeſtinatione ad gloriam. Et in Deo quidem tametſi unicus ſit voluntatis actus, quo 29.
non priùs vel poſteriùs, ſed ſimul vult om-

 nia,

nia, quæcumque vult. In rebus tamen ipſis & effectibus prædeſtinationis ordo exiſtit aliquis, ſecundum quem unus poſſit eſſe cauſa alterius, & pro noſtro intelligendi modo priùs etiam vel poſteriùs ad Dei mentem referri. In quo argumento occupatur Apologia Aſſertionibus 20. 21. 23. 24. 26. 27. 28. & 29. Ad quam eodem ſimul hîc tenore reſpondebimus. Et nos quidem in Cenſura noſtra non id propriè argumentum attigeramus, aut ex profeſſo excuſſeramus, Auguſtinum à Scholii tantùm aſpergine, & adverſus Græcos diſſidio, vindicari contenti. Verùm quoniam viſum hîc Profeſſoribus fuit eam rem pluribus agere, neque nos reſpondere detrectabimus.

30. *Proponitur Profeſſ. Soc. Ieſ. ſententia.*

Statuunt itaque neminem immediatè & abſoluto Dei decreto, ſive ante omnem prævisionem meritorum ad beatam vitam eſſe præordinatum, ſed illam omnem Dei conſtitutionem de aliquorum in gloriam reſtitutione à præviſione boni operis ac perſeverantiæ, quæ partim à gratia, partim à libero arbitrio pendeat, religatam atque
31. ſuſpenſam eſſe. Nec ideò voluiſſe Deum quemquam ex fide benè vivere, quia ſalutem ei præpararit, quam conſequi, niſi credendo, recteque vivendo, non poſſet; verùm ideò potiùs ſalutem ei preparaſſe, quod eum libero arbitrio, quamvis per gratiam adjuto-

adjuto, benè eſſe victurum præſcierit; eâque ratione facillimè cenſent perſpici poſſe, quemadmodum Dei prædeſtinatio conſequendæ ſalutis neceſſitatem non adferat, cùm ea nulli abſolutè decreta ſit, ſed ex ea tantùm præſcientia, quâ oblatam ſibi gratiam acceptaturus quiſque, eâque per liberum arbitrium benè uſurus, iſtâque ratione piè ſanctèque victurus prænoſcebatur. Nimirùm ut accipi debeat æternæ ſalutis prædeſtinatio per dependentiam à libero hominis arbitrio, non ſic autem ut hominis voluntatem divina conſtitutio prçveniat. Illos verò qui abſolutam de cujuſque ſalute Dei voluntatem tueantur, liberum arbitrium, aſſerunt, ſimul tueri & retinere non poſſe. Ita illi. Noſtra verò ſententia eſt, Deum ex communi generis humani maſsâ, peccato jam depravatâ, meritoque damnationi obnoxiâ, quoſdam pro ſua miſericordia fixo prorsùs æternæ voluntatis decreto ſtatuiſſe ex miſeris beatos, atque ex ſervis verè perfectèque liberos efficere, ruinaſque Angelorum, quorum ſuperbia numerum minuiſſet, hâc omninò ratione ſupplere; idque uſque adeò non ex bonorum meritorum præviſione, ut propterea magis, quaſi ſecundo jam loco, de gratiâ meritorum impartiendâ conſtitutum ſit, quo poſſent prædeſtinati ad tam ſublimes cælorum *Lovan. Theol. ſententia.*

rum ſedes pervenire, qui niſi juſti priùs ſanctique eſſent, nullum in cæleſti regno locum invenirent. Tanquam ſi quis potentiſſimus monarcha hominem conditionis & originis quidem ſorte abjectum, charum tamen atque acceptum, ad regnum decreviſſet evehere, ideoque quo magis ad eam ſublimitatem foret idoneus, bonis artibus omnique diligentiâ inſtitutionis reddere expolitum atque ornatum. Quam ſententiam & rationi & Scripturis & veteri Scholæ, quæ Auguſtino Duce inter ſaniores ſemper prævaluit, magis putamus eſſe conſentaneam, nec libero arbitrio ulla in parte adverſam.

Admonitio de ſignifica- tione & uſu vocis prædeſtinatio.

Quod priuſquam oſtendere aggrediamur, expendenda inprimis prædeſtinationis definitio eſt, quam velut ex Auguſtino depromunt, quem dum explicare conantur, bis

32. depravant. Prædeſtinatio, inquit Auguſtin. gratiæ præparatio eſt, ac rursùs, prædeſtinatio, inquit, præſcientia & præparatio eſt beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Ubi impri-

Lib. de præd. SS. cap. 16. de dono perſev. cap. 14.

mis non conditionatam, ut ſuprà oſtendimus, ſed abſolutam Auguſtinus præſcientiam intelligit. Deindè gratiæ ac beneficiorum, quibus ſalvamur nominibus, non priorem tantùm effectuum prædeſtinationis partem, ſed utramque ſimul, totamque congeriem complectitur, tam æternæ videlicet

delicet vitæ gloriam, quàm media omnia quibus ad eam pertingitur: quando juxta Apoſtolum gratia Dei per Jeſum Chriſtum, vel inprimis æterna ſit vita, & per eam ipſam propriè perfectèque à malis omnibus liberemur. At verò Profeſſores prædeſtinationem gratiæ dumtaxat eſſe volunt, quâ pervenitur ad gloriam, non autem ipſius gloriæ. Qua in re non ſolùm à vulgata loquendi Scholaſticorum conſuetudine, ſed ab Auguſtino etiam: Imo & Driedone, Ruardo, cæteriſque Scholæ noſtræ olim Profeſſoribus, quos hic ſequi tamen ubique videri volunt, ſine cauſa diſcedunt. Nihil ergo erat, cur prædeſtinationem ab immediata ad gloriam electione ſeparandam putarent, ſed diſtinguendi cauſa dicere licuiſſet; prædeſtinationem ad gloriam, & prædeſtinationem ad gratiam, quâ utique pervenitur ad gloriam; quanquam interim prædeſtinationem abſolutè cùm dicimus, per antonomaſiam à digniori effectu, ad futuram gloriam referre, conſuetum ſit. Quare nos hâc ipſorum diſtinctione relictâ, pervulgatam tenebimus Scholarum loquendi conſuetudinem.

Rom. 6.

33.

Hoc ergo præmiſſo, ad rem ipſam veniamus, cauſaſque reddamus, cur prior illa Profeſſorum ſententia minùs viſa probabilis ſit. Quarum prima eſt, quod Maſ-

1. Ratio Epiſt. ad Auguſt.

ſilienſium ea olim Auguſtino adverſantium ac Pelagianiſmi reliquiis infectorum, opinationem fuiſſe conſtet, quam B. Proſper hiſce ad Auguſtinum retulit verbis. Hæc enim, inquit, ipſorum definitio ac profeſſio eſt, omnem quidem hominem Adam peccante peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari; univerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicumque ad fidem & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint. Qui autem credituri ſint, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præviderit. Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis inſtitutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo deſperet, cùm voluntariæ devotioni remuneratio parata ſit. Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis hnmani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundum quod placuit creatori, alia vaſa honoris, alia vaſa contumeliæ ſint

crea-

creata, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre, eoque in utramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere, quoquo modo enim ſeſe egerint, non poſſe aliud circa eos, quàm Deus definierit, accidere, & ſub incerta ſpe, curſum non poſſe eſſe conſtantem; cùm ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem, aut diverſarum naturarum dici dominum conditorem, ſi nemo aliud poſſit eſſe, quàm factus ſit. In his Proſperi verbis animadvertere licet, quemadmodum illi, quorum placita commemorat, primò definierint, prædeſtinationem ad regnum ex meritorum, etiam quæ Dei gratiæ tribuerint, præſcientia. Deindè quod eòdem recidit, per dependentiam ab hominum voluntate ſeu libero arbitrio; 3. ut doctrinam Auguſtini, quam ſuis hiſce placitis adverſari ſentiebant, tanquam ſtudio veritatis adverſam improbârint. Deniquè ut eam odiosè propoſitam malitioſeque depravatam libero arbitrio contrariam, plane-

que

que hujuſmodi quæ fatalem quandam inducerет neceſſitatem, perſuadere ſunt conati. Quare cùm hanc illorum conſtet fuiſſe opinationem, haud injuriâ nobis ſuſpecta eſſe debet; eò magis quod hujuſmodi ſermo, quo prędeſtinatio ad gloriam ex præviſione dicitur meritorum (quę ſecunda cauſa eſt) ſpeciem pręferre aliquam, & ſuſ-
3. Ratio. picionem Pelagiani erroris ingerere videtur.
35. Nam ſi vitę æternæ prædeſtinatio ex acceptandę gratię, cooperationiſque & perſeverantię præſcientia eſt, pręſcita hęc tantùm eſſe videtur, non etiam prędeſtinata; Nam ſi & iſta prædeſtinata & Dei munere donanda, præordinata forent, tum prędeſtinata concedi oportere viderentur ex ipſa prędeſtinatione ad ęternę vitę finem, atque ideò non prædeſtinata, quia præſcita, ſed præſcita, quia prædeſtinata. Siquidem reſpectu ejuſdem non prædeſtinatio præſcientiam, ſed pręſcientia prędeſtinationem comitatur: quia quod futurum non eſt niſi volente ac operante Deo, non ideò vult Deus, quia futurum prævideat, ſed ideò futurum pręvidet, quia efficaciſſimè velit ut fiat. Itaque quamquam per hunc loquendi modum, ut ex pręſcientia meritorum, beatę vitę prędeſtinationem eſſe velint, agnoſcere ſe fateantur, idemque & Maſſilienſes olim dixerint; Dei eſſe donum

opera

opera bona, & felicem in eis perſeverantiam; ipſa tamen ſermonis forma & facies diverſum quiddam inſinuare videtur. Quod Ambroſio Catharino perſuaſum uſque-adeò fuit, ut affirmare confidenter non dubitarit, Pelagianum eſſe, ſi quis prædeſtinationem ſalutis ex meritis eſſe aſſerat. *Lib. 1. Summa de præ-deſt.*

Aliud eſt enim, inquit, dicere ſalutem, aliud prædeſtinationem ſalutis venire à meritis. Illud enim prius verum eſt atque Catholicum, hoc autem falſum, Pelagianum, & hæreticum. In quod tamen iſti, inquit, imprudenter impingunt. Sic ille. Cur autem vel imprudentes impingunt? quia nimirùm ſequi videatur, ſi prædeſtinatio ad ſalutem ex meritis ſit, præſcita eſſe à Deo merita, non præparata, quemadmodum apertè ſentiebat Pelagius. Nam ſi merita quoque Deus præparaſſet, ea procul dubio præparaſſet tanquam media ad gloriam & finem ſuum neceſſaria. Non ergo de nihilo eſt, quod Catharinus homo ſanè acutus hoc viderit, in ſimilitudinem Pelagianæ locutionis, erroris quoque videri ſubeſſe periculum. Quod & ipſi interdùm, qui ſic loquuntur, ſubaperiunt, dicentes: Prædeſtinari ante omnia ho- 365

mini gratiam excitantem, & præſcire Deum quod gratiâ illâ benè perſeveranterque ſit uſurus, & ideò conſequenter prædeſtinare ad vitam. Quid enim ſibi vult iſta diſtinctio, niſi bonum uſum oblatæ gratiæ, & ex ea gratia perſeverandi conſtantiam, præſciri tantummodò, non etiam prædeſtinari? Et quidem hæc ſecunda ſit ratio, quæ ex proxima intelligi pleniùs poterit.

3. Ratio. Tertia ergo cauſa eſt, quod intentio finis prior ſit mediorum ad finem diſpoſitione. Priùs enim vult quiſque ac intendit quietem defenſionemque adverſus aëris injurias, poſteriùs autem de ædificanda, emenda, aut conducenda idonea domo, ſecum conſtituit. Cùm igitur vita æterna finis ſit, ad quem initio quidem conditi, poſt lapſum verò gratuitâ Dei miſericordiâ reſtituendi ſumus; videtur de hac ipſa ad eum finem provectione priùs eſſe divinâ ordinatione conſtitutum, quàm de mediis, hoc eſt, meritis bonis tribuendis, ſine quibus nulla eſſe poſſet ad propoſitum finem progreſſio atque perventio. Quod ſi ſic eſt, non ex prævia meritorum conſideratione oritur præordinatio ad vitam, ſed è diverſo potiùs, præparatio gratiæ ad merendum rectèque operandum, eoque & merito-

rum prævīſio præordinationem ſequitur ad vitam. Neque enim prævidere lapſi hominis merita potuit, niſi donare ea vellet; donare porrò ideò voluit, quod hominem à ſe electum beare & gloriâ ſublimare, ſuumque ad finem, à quo per unius hominis primi inobedientiam exciderat, reducere ſtatuiſſet. Rationem hanc ipſam Joannes Scotus ejuſmodi verbis expreſſit. *Lib. 1. Senten. diſt. 41.* Volens, inquit, ordinatè finem, & ea quæ ſunt ad finem, priùs vult finem, quàm aliquod entium ad finem, & propter finem alia vult; ergo cùm in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis ultimus ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis, primò vult 37.
huic creaturæ beatificabili finem & quaſi poſteriùs vult ei alia quæ ſunt in ordine illorum, quæ pertinent ad finem. Sed gratia, inquit, fides, merita & bonus uſus liberi arbitrii, omnia ad iſtum finem ſunt ordinata, licet quædam remotiùs & quædam propinquiùs: ergo iſti vult Deus beatitudinem priuſquam aliquid eorum, & priùs vult ei quodcumque eorum, quàm prævideat ipſum habiturum quodcumque eorum. Igitur propter nullum iſtorum prævīſum vult ei beatitudinem. Sic ille. Ubi ſuam poſtremam ſententiam

ponere atque explicare videtur. Sed &
1. p. q. 23. a. 4. D. Thom. eandem ſatis rationem inſinuat, ubi dicit prædeſtinationem, partem eſſe providentiæ, providentiam autem eſſe præceptivam ordinationis aliquorum in finem. Nec verò præcipi aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis, ideoque prædeſtinationem aliquorum in ſalutem præſupponere ſecundum rationem quod Deus illorum ſalutem velit. Non ergo ſecundum B. Thomam Deus prædeſtinando, primò vult gratiam & bona merita dare, ac deindè ex eorum præviſione vitam æternam, ſed pro electis vult vitam ut finem, deindè media ad illam neceſſaria.
a. 7. pag. 310. in editione anni 1555. Quod ipſum & illa Ruardi inſinuat deſcriptio, quâ dicit, prædeſtinatio eſt efficax ordinatio & directio Electorum per media congrua ad ſalutem æternam. Cujus & alibi hæc ſunt verba: quia, in-
ibidem fol. 308. quit, non ſolùm ad gloriam æternam elegit nos Deus, ſed ad certum etiam
38. gloriæ gradum & certam in cælis manſionem, ad hunc quaſi ſcopum totam vitam noſtram omniaque opera & incrementa eâdem ſuâ gratiâ diſponit & gu-
fol. 1. 2. 3. 4. 15. 16. bernat. Nec diſſimilia Joannes Driedo ſcribit lib. de Concordia cap. 1. 3. & 4. Non ſemel inculcans, vitam æternam

finis

finis habere rationem, merita vitamque bonam, mediorum. Ubi inter cætera etiam dicit, voluntatem dandi vitam æternam, ſecundum naturam, priorem eſſe in Deo voluntate dandi perſeverantiam; ſicut in medico anterior eſt ſanandi voluntas, quàm exhibendi potionem. Nec diſſimilia ſunt quæ in primam partem Divi Th. ſcribit Banneſius, Primarius Scholæ Salmanticenſis Profeſſor. *Cap. 3. fol. 15. q. 23. a. 2. & 9.* Sed neque alio reſpexit B. Fulgentius ita ſcribens, quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam. *Lib. 1. ad Monimum cap. 13.* Ita illi, confirmantes hoc pacto explicatam à nobis de immediata & abſoluta donandi electis vitam æternam, Dei voluntatem.

Accedit huc & quarta ratio, quod vita *4. Ratio.* æterna, non ſolùm eſt homini præparata ſub ratione mercedis ob reſpectum meritorum, ſed imprimis ut gratia, bonum- 39. que indebitum, juxta id quod B. Apoſtolus dicit, *Rom. 6.* gratiam Dei eſſe vitam æternam per I. C. D. &c. Ita enim vita æterna propriè ſub prædeſtinationem cadit, cùm juxta B. Auguſt. prædeſtinatio gratiæ ſit præparatio. Neque enim hîc B. Auguſtinus, *De præd. cap. 10.* ut paulò antè admonuimus, gratiam intellexit eam ſolùm, quâ benè hîc vivitur, verùm illam quoque, quâ poſteà beatè vivetur, generali gratiæ no-

mine omne bonum complexus, quod
hominem ſalvat ſive hîc in ſpe, ſive po-
ſteà in re. Cur enim non & ipſam vitam
æternam gratiæ nomine comprehendiſſet,
quam B. Apoſtolus gratiam nuncupavit?
Ep. 105. Idque propterea, uti docet Auguſtinus,
quod homini peccatori, & qui ex ſeipſo
nulla poſſit ad eam comparandam adferre
merita bona, planè gratuita ſit atque in-
debita, eoque ſpecialior majorque gratia,
quod homo vitiis inquinatus, quantùm
ad propria ipſius attinet, prorsùs ſit ea in-
dignus. Cùm igitur prædeſtinatione, (de
qua loquitur Auguſt. quæ propria lapſo-
rum eſt, gratiæque eſſe præparatio defi-
nitur) æterna vita iis ſit hominibus præ-
parata, quos ad eam miſericorditer Deus
etiam indignos elegit, neceſſe eſt, ut prę-
deſtinata eſſe ponatur, non ex prævi-
ſione atque intuitu meritorum, cùm hâc
conſideratione non tam gratuita atque in-
debiti muneris, quàm debitæ mercedis
40. ſubeat rationem, neque ea gratiæ ſit Ele-
ctio, quam Apoſtolus commendat, ſed
planè juſtitiæ. Priùs itaque Dominus
peccatores quos vult, quamvis tanto in-
dignos honore, ad vitam æternam elegit;
eamque illis ſummam gratiam, maxi-
mumque plenæ libertatis beneficium prę-
deſtinatione ſuâ præparavit, ac tum dein-
dè,

dè, ne quaſi illotis pedibus ac manibus (quod fieri non poteſt) in tantæ munditiæ domicilium aſcendant, gratiam, quâ purgentur, dignique efficiantur, dare conſtituit, ut tantum bonum, quod eis pro ſuo fine, miſericordi propoſito reſtituit etiam meritorum intuitu tanquam debitam ſibi mercedem aſſequantur. Undè Fauſtus ille Regienſis Galliarum Epiſcopus, cùm adverſam Auguſtino ſententiam tuendam ſuſcepiſſet, ſolam hîc agnoſcit juſtitiæ prædeſtinationem. Præſcientia enim, inquit, gerenda prænoſcit, poſtmodum prædeſtinatio retribuenda deſcribit. Illa prævidet merita, hæc præordinat præmia, præſcientia ad potentiam, præordinatio ad juſtitiam pertinet; ac ſic, inquit, niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit. Hæc ille. Auguſtini ea in parte doctrinam, ut & in aliis pluribus, inſectatus. Quinta ratio ex parvulorum cauſa peti poteſt. Cùm enim qui adverſam tenent ſententiam, meritorum hanc præſcientiam prærequirant, propter dependentiam, quam volunt, prædeſtinationis à libero arbitrio prædeſtinatorum: dicant ex qua præſcientia meritorum, aut quemadmodum ex libero parvulorum arbitrio, qui baptizati ex hac continuò

Lib. 2. de gra. cap. 3

5. Ratio.

vita evocantur, æternæ ſalutis eorum
41. prædeſtinatio pendeat. Nec enim ſalutem conſequuntur, quia voluerunt ſibi ipſi, ſed ob id quod ante omnem liberi ex parte eorum actus prænotionem, ſalvos facere voluerit. An fortè pueros ejuſmodi cum Catharino, ex prædeſtinatorum numero debemus ponere, propterea quod vocati eſſe non videantur? Undè ergo niſi ex vocante tantus felicitatis honor? Undè eis regnum, niſi quia hoc eis fuerit à mundi conſtitutione Dei prædeſtinatione præparatum? quomodò autem non prædeſtinati, ſi ſalvi? fortè etiam cum Maſſilienſibus illis, adeòque & Fauſto, Auguſtinianæ obtrectatoribus doctrinæ, dicturi ſunt aliqui, parvulorum cauſam non eſſe ad majorum referendam exemplum. Sed hoc quamobrem dicturi ſunt non videmus, niſi non unam omnium electorum prædeſtinationis velint eſſe rationem. Quod ſi tantum intereſſe pronuntiabunt, ut aliquorum ſit conditionata, aliorum verò abſoluta prædeſtinatio, providere debebunt, ne qui electi, abſolutâ neceſſitate ſalventur; cùm tamen neminem Deus ſalvet, niſi liberrimo æquitatis & miſericordiæ ſuæ judicio.

Hilar. Epiſt. ad Auguſt. Fauſtus lib. 1. cap. 13.

42. Verumtamen nec in adultis gratia Dei à libero pendet arbitrio, quod ſibi quando vult

vult ſubjicit, cordiſque quantamcumque
duritiem repentè diſſolvit. Neque expe-
ctat ejus obedientiam, ſed potenter effi-
cit; quemadmodum uel unius Pauli clarè *Actor. 9.*
docetur exemplo, qui in ipſo perſequendi
furore tactus à Domino & repentè com-
mutatus, paratam illi ſuam exhibuit vo-
luntatem, Domine, inquiens, quid me
vis facere? Numquid ab ejus arbitrio 43.
gratiæ pendebat energia, quæ cor adeò
rebelle & ad perſecutionis impietatem
obfirmatum, tantâ celeritate tam effica-
citer ſibi ſubdidit? Aut quam gratiæ ſuæ
vim in Paulo exercuit, non pluribus aliis
præſtitit, quorum obduratiſſima ſceleri-
bus corda ſimiliter emollivit? Sed nec 44.
ipſa perſeverantiæ donatio à liberi arbitrii
acceptatione ſuſpenſa eſt: quia ſicut Deus,
quos vult, convertit, non expectatâ eo-
rum voluntate; ita etiam quos vult, per-
ſeverantes facit, non expectans ut perſe-
verare velint, ſed omninò efficiendo, ut
velint, juxta clariſſimam Auguſtini do-
ctrinam de perſeverantiæ lapſorum dono.
Quod ſi gratia Dei à libero non pendet ar-
bitrio quaſi quendam ad acceptandum
prævium prærequirens motum, cujus
præviſione donetur. Neque igitur præ-
deſtinatio ad vitam, quæ gratiæ prædc-
ſtinationem involvit, tanquam medii ad

talem finem neceſſarii, aut ex præſcientia meritorum, aut per dependentiam à libero arbitrio, ſtatuenda erit. Si enim mediorum præparatio non eſt per dependentiam à libero arbitrio; ergo nec finis ipſius prædeſtinatio. Sed nunc ſacrarum litterarum addamus teſtimonia, quibus probetur, gloriæ prædeſtinationem ex præviſione non eſſe meritorum.

6. Ratio ex ſcripturis.

Docet Apoſtolus in Epiſt.ad Rom.c.9. Patriarcham Jacob (in quo typum fuiſſe interpretatur prædeſtinatorum) cùm natus nondùm eſſet aut quicquam egiſſet
45. boni, id eſt, ante omnem operum meritorumque reſpectum, cùm minor eſſet, majori eſſe præpoſitum, præque illo dilectum atque ipsâ dilectione honorandum & evehendum, juxta id quod ſcriptum erat apud Malachiam, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Namque, ait Apoſtolus, ut ſecundum electionem maneret Dei propoſitum, quo præ Eſau ſtatuerat honorare Jacob, non ex operibus, id eſt, non ex ulla operum præſcientia dictum eſt, major ſerviet minori, ſed ex vocante, id eſt, ſolâ gratuitâ vocantis Dei miſericordiâ. Communis hic eſt Interpretum ſenſus, præſertim ex quo diſcuti diligentiùs cœpit, quænam eſſet Apoſtoli intentio, propter eam, quæ contra Pelagianos habeba-

habebatur, de gratuita Dei electione, quæſtionem. Nam anteà ſecurus agens Chryſoſt. hanc inſinuare videri queat Apoſtolicæ doctrinæ ſententiam, ut non ex operibus, idem ſit, quod, non expectato rei eventu; more hominum qui aliter de perſonis judicare non poſſunt. *Homil. 16. in Epiſt. ad Rom.*
Verùm quid hoc tunc pertinet ad gratuitæ electionis commendationem; illuſtrationemque indebitæ miſericordiæ, de qua ſubjungitur à Domino eſſe dictum, miſerebor, cui miſerebor &c. Siquidem ad excludendam electionis gratiam ſufficit, vel antè præſciſſe qui digni futuri ſuis meritis eſſent, & eos hoc nomine ad coronas elegiſſe. Si enim meritis bonis, poſteà quàm eſſe cœperint, juſta ſit gloriæ retributio, ergo & ipſa quæ præcedit ad gloriam electio ex prævisione meritorum, ad juſtitiam pertinet, non autem ad indebitam miſericordiam. Itaque B. Auguſt. quamvis non eſſet ignarus, quid ante exortum Pelagium, circa hunc Apoſtoli locum Eccleſiaſtici aliqui tractatores commentati eſſent, tamen uſqueadeò commendatam eſſe tenuit ab Apoſtolo dilectionem Jacob, non ex aliqua præſcientia operum, ut in libris, quos ad Bonifacium Papam ſcripſit, non dubitarit adverſus quoſdam Pelagianiſantes ita 46.
Lib. 2. contra Epiſt. 2. Pelagii c. 7.

con-

47. concludere: propter quod, inquit, profectò deſipitis, qui, dicente veritate, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum præſciebat, Jacob fuiſſe dilectum, atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus, quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus. Sed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret; & primùm ut, inquit, vobis auferretur omnis veſtræ caliginis latebra, propterea, tales geminos propoſui, qui neque parentum meritis juvarentur, & ambo in ipſo infantiæ primordio, unus baptizatus, alter ſine baptiſmo moreretur. Ne diceretis, Deum, ſicut de Jacob & Eſau contra Apoſtolum dicitis, opera eorum futura præſciſſe; quomodò enim præſcivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præſcientia ejus falli non poteſt, præſcivit potiùs non futura? Sed neque

Cap. 98. Enchiridii locum pigebit aſcribere, quo clarè docet Jacob non fuiſſe electum ex operum bonorum præviſione, quæ erat ipſe facturus. Quis, inquit, tam impiè deſipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, ubi voluerit, quando voluerit in bonum non poſſe convertere? ſed cùm facit, per miſericordiam

facit,

facit, cùm autem non facit, per judicium non facit; quoniam cui vult miſeretur, & quem vult indurat.

Quod cùm diceret Apoſtolus, gratiam commendabat, ad cujus commendationem de illis in Rebeccæ utero geminis fuerat jam locutus, quibus nondùm natis, nec aliquid agentibus boni ſeu mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori. Propter quod adhibuit alterum propheticum teſtimonium, ubi ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Sentiens autem quemadmodùm poſſet hoc quod dictum eſt, permovere eos, qui penetrare intelligendo non poſſint altitudinem gratiæ; quid ergo dicemus, ait, nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit.
Iniquum enim videtur, ut ſine ullis bonorum, malorumve operum meritis, 49.
unum Deus diligat, odiatque alterum. Qua in re ſi futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, ſed diceret, non ex futuris operibus, eoque modo iſtam ſolveret quæſtionem: Imò nullam, quam ſolvi opus eſſet, ſolvaret quæſtionem. Nunc verò cùm reſpondiſſet, abſit,
id

id eſt, abſit, ut ſit iniquitas apud Deum, mox, ut probaret, nullâ hoc iniquitate Dei fieri, inquit, Moyſi enim dicit, miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo cui miſertus fuero. Quis enim niſi inſipiens, Deum iniquum putet, ſivè judicium pœnale ingerat digno, ſive miſericordiam præſtet indigno? Denique infert & dicit; igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ambo itaque gemini naturâ filii iræ naſcebantur, nullis quidem operibus propriis, ſed originaliter ex Adam vinculo damnationis adſtricti: ſed qui dicit, miſerebor cui miſertus ero, Jacob dilexit per miſericordiam gratuitam, Eſau autem odio habuit per judicium debitum. Hæc eo loco Aug. quibus declarat dilectionem Jacob, non ſolùm non fuiſſe ex operum præſcientia, quæ ex libero arbitrio & legis cognitione (quemadmodùm eludere *lib. 2. de Grat. cap.6.* locum hunc conatus eſt Fauſtus) ſine gratia feciſſet.

Sed ne ex præſcientia quidem bonorum operum, quæ fecit ex gratia: hujuſmodi enim procul dubio fuêre, quæ fecit. Quod ipſum inſinuat etiam Aug. ad Simp. lib. 1. q. 2. ſcribens, ut, inquit, odiſſet Eſau
50. niſi injuſtitiæ merito injuſtum eſt. Quod ſi concedimus, inquit, incipit & Jacob juſtitiæ

juſtitiæ merito diligi; quod ſi verum eſt, falſum eſt quod non ex operibus. An fortè ex juſtitia fidei? quid ergo te adjuvat? Cùm enim nondùm nati eſſent; quandoquidem in nondùm nato necdùm juſtitia fidei poterat eſſe. Hæc eo loco Aug. ſatis ſignificans, quod Jacob dilexerit Deus, omnem etiam juſtitiæ fidei præveniendo conſiderationem. Quare 51.
cùm in dilectione Jacob, æternæ ſalutis tribuenda voluntas intelligenda potiſſimùm ſit, ſicut & in Eſau damnandi propoſitum; ſequitur, nec ipſam vitæ prædeſtinationem ex bonorum meritorum exiſtere præſcientiâ, ſed planè gratuitam eſſe. Et hactenùs quidem de illo Apoſtoli ad Rom. teſtimonio. Eodem facit & ille in actis Apoſtolorum locus, ubi ſic legi- *Actor.* 13.
tur, Audientes gentes gaviſæ ſunt & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Quo loco apertè ſignificatam 52.
eſſe præordinationem ad vitam, donandæ fidei cauſam extitiſſe, patet, ut ideò crederent, qui ad vitam præordinati jam erant, quia ad præordinatum ſibi finem niſi credendo pervenire non poſſent. Nec enim, ait, & præordinati ſunt ad vitam quotquot crediderunt; ut ſignificaret præſcientiam fidei poſteriorem eſſe vitæ
præ-

præfinitione ; ſed è diverſo, crediſſe dicit eos, qui præordinati erant ad vitam: Cur autem crediſſe, niſi quia erant ad vitam præordinati ? ipſam enim præordinationem ad vitam, credendi eis fuiſſe cauſam, hoc pacto inſinuat ; ut intelligeremus non ex præſcientiâ fidei eſſe vitæ præordinationem, ſed ipſam potiùs vitæ prædeſtinationem præſcientiâ fidei eſſe priorem. Quoniam enim præparavit Deus electis ſuis vitæ beatæ finem, idcircò & fidem & alia quoque ad vitam neceſſaria præparavit, quæ quia præparavit, à ſe quoque donanda præſcivit. Et hoc quidem argumento doctrinam Auguſtini fuiſſe ſubnixam, Proſper inſinuat in ea epiſtola, quam ad Auguſtinum ſcripſit dè Gallorum quorundam querelis & obtrectationibus, cùm ab eo explicari petit, quemadmodùm per hanc prædicationem propoſiti Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati ſunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi ſunt, impediatur, nec occaſionem habeant negligentiæ, ſi ſe prædeſtinatos eſſe deſperent. Atque ad illam Actorum ſententiam certè reſpicit ſubindè Auguſt. ſive cùm dicit contra Julianum ſcribens, abſit, ut prædeſtinatus ad vitam, ſine ſacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam ; ſive
Lib. 5. c. 3.
cùm

cùm ait lib. de dono perſeverantiæ: liquere etiam ex iis quæ ad Simplicianum *Cap.* 21, ſcripſit, ipſam uſque in finem perſeverantiam non niſi ab eo donari, qui nos prædeſtinavit in ſuum regnum & gloriam. Et rursùm lib. de prædeſt. SS. oſtendit, ex eo Actorum loco, Deum ad regnum etiam cælorum & ad vitam æternam præparare hominum voluntates. 53. *Cap.* 20. Quæ ſecutus Fulgentius, planiſſimè, quod etiam ſuprà citavimus, dicit, quos prædeſtinavit Deus ad vitam, eoſdem & prædeſtinaſſe ad juſtitiam. *lib.* 2. *ad Monim.* *cap.* 13. In eo verò libro, quem ſcripſit de fide ad Petrum: *Cap.* 3. illi, inquit, cum Deo regnabunt, quos Chriſtus gratuitâ ſuâ bonitate prædeſtinavit ad regnum; quia enim tales prædeſtinando præparavit, ut regno digni eſſent, præparavit utique ſecundum propoſitum vocandos, ut obediant, præparavit juſtificandos, ut acceptâ gratiâ rectè credant & benè vivant; præparavit etiam glorificandos, ut Chriſti hæredes effecti, regnum cælorum ſine fine poſſideant.

Et hoc quidem ad intelligendam beatæ vitæ gratuitam prædeſtinationem ſatis ſuperque ſufficere arbitramur; prorsùs, ut jam liquidò appareat (quoniam veriſſimè dicit Auguſtinus, Deum prædeſti- *cap.* 10.

natione ſuâ præſciſſe quæ fuerit ipſe factūrus) non prædeſtinationem Dei ex præſcientia, ſed præſcientiam ex prædeſtinatione eſſe conſtituendam. Neque enim quæ prædeſtinavit ipſe facere, ideò prædeſtinavit, quia præſcivit, ſed ideò præſcivit, quia prædeſtinando facere ſtatuerit. Prædeſtinavit autem non ſolùm dare gloriam, ſed & merita & omnem bonum ac ſalutarem liberi arbitrii uſum. Quare ideò illum præſcivit, quia prædeſtinavit, ideò autem prædeſtinavit, quia hominem, quem elegit fixo & abſoluto propoſito, ad eum à quo exciderat, beatæ vitæ finem reducere voluit.

Ab Objectiones reſponſio.

Nunc ad argumenta quæ in Apologia opponuntur, reſpondeamus, quibus ex ſuperabundanti pro majori explicatione nonnulla etiam adjiciemus. Et quidem primùm objici poteſt, quod Angelorum Sanctorum, qui in accepta juſtitia perſtiterunt, & hominis recti, ſi in gratia, quam acceperat, ſimiliter perſeveraſſet, prædeſtinatio ad gloriam, ex meritorum ſit præſcientia definienda: quare & hominis lapſi prædeſtinationem ad vitam ex meritorum præſcientia conſtituendam videri. Cur enim non ſit utriuſ-

1. Objectio.

utriuſque prædeſtinationis eadem ratio? & quid eſt quod diſcrimen facere hac in cauſa poſſit? Reſpondendum eſt, quamvis Angelis ſanctis & homini, ut primùm conditus eſt, non potuerit perſeverantiæ meritum abſque gratiæ eſſe auxilio, non illo tamen opus eſſe auxilio, quo fieret ut in finem uſque actu perſeverarent; ſed eis cùm adeſſet per gratiam, ut perſeverare poſſent, ſi vellent, relictum eſt in eorum arbitrio, ut vellent ac perſeverarent, uſque adeò, ut inter perſeverantes Angelos & non perſeverantes diſcrimen non ipſa fecerit gratia, quæ eſſet utriſque communis, ſed liberum tantum arbitrium. Ideò igitur Sanctis illis Angelis præordinata vita fuit ex perſeverantiæ præſcientia, quia reverà quoad ſui complementum non prædeſtinata; ſed præſcita dumtaxat fuit eorum perſeverantia. At nunc poſt lapſum non ſufficit auxilium gratiæ, quo poſſimus ſi velimus, ſed planè etiam illo eſt opus, quò fiat ut velimus, atque in finem uſque perſeveremus. Ut inter perſeverantem & non perſeverantem non jam ſolùm liberum arbitrium diſcrimen faciat; ſed & gratia ipſa, quæ aliis ad perſeverandum per indebitam miſericordiam datur, aliis autem juſto Dei judicio non datur. Cur autem

Indicare videtur Aug. de homine recto Enchr. c. 104.

Responſio. 54.

55.

56.

De bono perſev. cap. 8. ex duobus piis, inquit, Auguſt. huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Quod ſi noſſe deſideret, clarane ſit de prædicto perſeverantiæ diſcrimine Auguſt. doctrina, in promptu ſunt & quæ ſcripta reliquit lib. de correptione *Cap. 12.* & gratia, quæ hîc non pigebit ſubjicere. Primo, inquit, homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam prædeſtinatis, non tantùm tale, adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut ipſis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſine ipſo perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint: Et rursùm. Ac per *Ibidem ſub fin. ejuſdem capitis.* hoc, inquit, nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui eis non ſolùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis poſ-

poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia volunt, ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate ſuâ, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii; quamvis non defuturo adjutorio Dei; ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippè dimiſit atque permiſit

facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante inviċtiſſimè quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere inviċtiſſimè nollent.

57. Haċtenùs Auguſtinus perſeverantiæ quod volumus diſcrimen luculentâ admodùm oratione explicavit. Qui verò nullam ponunt differentiam inter perſeverantiam hominis lapſi atque vitiati, & Sanċtorum Angelorum, qui in ſua reċtitudine perſtiterunt, eoque clariſſimam Auguſtini doċtrinam apertè convellunt, Gallorumque illorum, in quibus Pelagianiſmi quædam hæſere reliquiæ, placita & ſententias querelaſque renovant, haud ſanè mirùm, ſi eodem modo utrorumque prædeſtinationem ex meritorum præſcientia definiant. Hylarius certè ad Aug. ſcribens, quid Maſſilienſes hac in parte de D. Auguſtini doċtrina judicarint, ejuſmodi verbis expreſſit. Deindè, inquit, moleſtè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus detur, ut ille acceperit perſeverantiam, non quâ fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: Nunc verò Sanċtis in regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale, ut eis ipſa perſeverantia donetur; non

ſolùm ut ſine iſtodono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Hæc ergo Maſſilienſibus perſeverantię diſtinctio non placuit; quos propterea in quęſt. de prędeſt. Sanctorum caligare adhuc Auguſtinus dicit. Nimirùm quod perſeverantię complementum in hominibus lapſis, ſicut & in Angelis Sanctis ſoli pręſcientię ſubjicerent, non prędeſtinationi Dei aſcriberent. Ideòque ex illius pręſcientia meriti, vellent non Angelos modò Sanctos, verùm etiam homines lapſos & depravatos eſſe ad vitam prędeſtinatos. Quocircà & nunc quidem Auguſtini judicio, in eadem quęſtione caligare cenſendi ſunt, qui prędeſtinationem vitę ex tali ſuſpendunt pręſcientia, non modò propter perſeverantię complementum, verùm etiam propter oblatę gratię acceptationem ad incipiendum ac perficiendum. Hęc enim omnia tali ſubjecta pręſcientię ſubtrahuntur prędeſtinationi, quę talem, ut ſentiunt, pręrequirit pręſcientiam. Quia reverà ſi hæc quoque prædeſtinata forent, tantùm prædeſtinata eſſe concedi oporteret ex ipſa prędeſtinatione ad beatæ vitæ finem; & ſi prædeſtinata, ergo præſcita. Siquidem reſpectu ejuſdem non prædeſtinatio præſcientiam,

Cap. 1.

58.

ſed præſcientia prædeſtinationem comitatur; quia quod futurum non eſt niſi volente ac operante Deo, non ideò vult Deus, quia futurum prævideat, verùm idcircò prævidet futurum, quod efficaciſſimè velit ut fiat.

2. Objectio Secundo loco objici poteſt, quod reprobatio non ſit ante omnem peccati præſcientiam, eòque nec vitæ prædeſtinationem ante meriti boni prævisionem.

Reſponſio. Reſpondendum, multam hac in parte inter prædeſtinationem & reprobationem eſſe diſtantiam. Si enim Deus reprobaret hominem, id eſt, æternæ morti addiceret ante omnem peccati prævisionem, quid aliud quàm naturam bonam perdere vellet? Nihil aliud in ea reſpiciens, niſi quod ipſe feciſſet, hoc autem & ab ejus bonitate atque juſtitiâ longè eſt alienum. Si dicamus, inquit Auguſt. lib. ad Simpl. q. 2. Deum feciſſe quæ odiſſet, abſurdum éſt, occurrente aliâ ſcripturâ & dicente, neque enim odio habens aliquid conſtituiſſes, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Quo enim merito Sol factus eſt? Aut quid offendit Luna, ut tantò illo eſſet inferior, vel quid promeruit ut ſyderibus aliis clarior crearetur? Sed hæc omnia bona creata ſunt, quæque in genere ſuo. Non enim diceret Deus, Solem dilexi,

Lunam

Lunam autem odio habui, ſed omnia illa dilexit, quamvis excellentiæ diverſis gradibus ordinata, quoniam vidit Deus quia bona ſunt, cùm dicto ejus ſint inſtituta; ut autem odiſſet Eſau niſi injuſtitiæ merito, injuſtum eſt. Hæc eo loco Auguſtinus, ſatis oſtendens, odium Dei ſeu reprobationem non eſſe niſi ex præſcientia injuſtitiæ; quòd alias eſſet abſurdum ac injuſtum, odio haberi creaturam bonam, nullius reſpectu peccati. At ſi hominem indignum ac in maſſa corrupta damnataque repertum velit nihilominùs beatum efficere perfectâque in ſuo regno juſtitiâ donare, quid aliud in eo propoſito quàm munificentiſſima quædam ejus elucet bonitas, quâ tantâ dilectione ac miſeratione ſuos etiam proſequitur inimicos?

Sed gloria, inquiunt, poſtremus eſt prædeſtinationis effectus, poſteriores autem effectus mereri poſſumus, ergo quod Deus ab æterno prædeſtinaverit gloriam, ex prævifis meritis fuit, quæ per gratiam ipſius eramus facturi. *3. Objectio.*

Reſpondemus, gloriam quidem effectum eſſe prædeſtinationis ultimum, ſed ſecundum executionem, primum autem ſecundum intentionem, in quantum finis eſt, propter quem cætera dantur. Ideoque primò Deus electis ſuis gloriam *Reſponſio.*

præparavit, ac deindè neceſſaria media.
60. Atque, ut ſuprà diximus, hoc modo vita æterna ſub prædeſtinationem propriè cadit. Sic enim gratia eſt & indebita, quatenùs ab æterno peccatori eſt præparata, & nullum ex ſe meritum gloriæ afferre idoneo. In quantum tamen debitæ mercedis ſubit rationem, ita eſt ex meritis pręparata; ſed illa juſtitiæ non gratiæ prædeſtinatio & electio eſt. Quomodò etiam Veteres loquuntur de prædeſtinatione ad mortem ex præſcientia videlicet peccati. Quare certiſſimum eſt, niſi per antecedentia merita, neminem ad vitam adduci; nec tamen ex meritorum præſcientia ipſius prædeſtinatio eſt, quæ utique gratiæ præparatio ſit. Aliud quippè ad vitam prædeſtinatio, aliud adductio eſt, aliuſque hujus & illius ordo; quæ proindè in hac diſputatione ſunt accuratè diſtinguenda.
61. Alioqui poſſet ad ſimilem modum concludi; nemo ſecuritatem & quietem obtinebit, niſi commodum priùs habuerit domicilium; ergo quietis prædeſtinatio ex faciendæ domus præſcientia aut propoſito exoritur; quod perſpicuum eſt vitiosè concludi. Neque enim quietis & ſecuritatis appetitus ex propoſito naſcitur domicilii comparandi, ſed è diverſo, domicilii comparandi propoſitum ex appetitu

titu deſiderioque quietis. Undè non aliud omninò tali argumento confici poteſt, quàm neminem prædeſtinari ad vitam aliter comparandam, quàm per bonorum operum, aut certé juſtitiæ meritum. Quemadmodum nemo ſibi quietem & ſecuritatem prędeſtinat aliâ ratione obtinendam, quàm idoneo domicilio in eum finem comparato. Diſtinguendus ergo executionis & propoſiti ordo, qui in ſuprà dicto argumento perperam confunditur.

Sed inſtant, ęternę vitę promiſſiones juxta Conc. Trid. doctrinam, conditionatæ ſunt, & Calvini eſt contrarium, undè colligunt electionem ad vitam ſimiliter debere conditionatam intelligi. *4. Object.* *Seſſ. 6. can. 20.* *Lib. 3. inſt. c. 20. §. ſeptimo.*

Reſpondemus, nec hîc ſine conſimili errore, electionem ac prædeſtinationem cum promiſſione confundi, quaſi non ea differant plurimùm; cùm vitę promiſſio primùm temporalis ſit, electio autem æterna: illa deindè ad omnes pertineat, quibus Euangel. prędicatur, quibus dicitur, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, & qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit. Hęc paucorum ſit, quibus ipſa vita divino eſt pręparata decreto. Illa pręrequiſitę conditionis non ſecum adferat impletionem; hęc autem præſtet ac prębeat. Ex quo *Reſponſ. 10.* 62. 63.

quo intelligitur electionem ad vitam non eſſe conditionatam ſicut promiſſio eſt, ſed abſolutam exiſtimari debere, eòque juxta Auguſtin. abſolutum ſit donandæ perſeverantiæ propoſitum, quam ex ordinatione Dei vita æterna conſequitur certiſſimè.

64. Quamquam autem novi Teſtamenti promiſſio, quæ beatam imprimis vitam complectitur, de qua dicitur, & cogoſcent me omnes à minori uſque ad majorem, abſoluta ſit quemadmodum Proſper docet, non ita tamen ut (quod Calvini molitur hæreſis) excludat merita; ſed ſic omninò ut ipſa quoque electis merita præſtet, per quæ ad vitæ perveniant finem.

Lib. 1. de vocat Gent. cap. 9.

5. Object. in præfat. Apologiam

Lib. 3. inſtit. cap. 22. §. 9.

Undè liquet, quid & ad hoc reſpondendum quod alibi ingerunt, Calvini eſſe doctrinam, prædeſtinari ad vitam æternam à Deo ex mero ejus beneplacito ac Dei præordinatione.

Reſpon.

Nam quamquam imprimis non ideò falſum id ſit, quod idem Calvinus etiam doceat, habet enim hoc omnis hæreſis ut falſis vera permiſceat, tanquam lepra varios colores exhibens; ubi neque propter ea quę vera dicuntur, amare oportet falſitatem, neque propter falſa fugere & abominari quam interponunt veritatem.

Quamquam ergo hoc ita ſe habeat, aliud

aliud tamen eſt quod agit Calvinus, & ſub hac doctrina concludit: Ita nimirùm mero Dei beneplacito præparatum regnum, ut non ſit ex meritis comparandum; id quod nos non dicimus, & ſequi 65.
indè negamus. Ita enim prædeſtinatam aſſerimus gratuitâ Dei electione gloriam, ut tamen niſi ex meritis aſſequi non liceat, quæ tamen ipſa etiam homini ſunt præparata, ut ad gloriæ finem per ea perveniatur. Siquidem verè utrumque dicitur & præparari gloriam propter merita, & merita propter gloriam; Illud quidem ut ſignificetur gloriæ cauſa meritoria; Iſtud verò ut indicetur meritorum cauſa finalis. Quare viderint qui in diverſa ſententia ſunt, utri cum Calvino potiùs ſentiant, ejuſque adjuvent cauſam: Illine qui ex gratuita Dei ad vitam electione tolli cum eo merita putent, an qui ſequi hoc indè negant.

Sic & Driedo l. de concor. c. 3. f. 15. & Bannez 1. p. q. 23. a. 2.

Reſponſio ad objectiones è Scripturis petitas.

Nunc ad Scripturas, quas objiciunt, reſpondeamus. Et primùm quidem opponunt, quod eſt apud Matth. c. 25: ubi dicitur, ſalvandis præparatum regnum à conſtitutione Mundi propter mérita. Reſpond. Verba Chriſti eo loco hęc ſunt: *Venite*

6. Objectio.

Reſponſio.

Venite Benedicti Patris mei poſſidite præparatum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim &c. Ubi non ſignificatur uti prætendit argumentum, præparandi regni ex parte Dei cauſam in meritorum poſitam prævifione, ſed poſſidendi ex parte hominum, in eo cauſam eſſe quod benefecerint: electis enim ſuis Deus regnum præparavit nulla in eis reperiens merita; ſed ea per gratiam dare volens, quibus jam gloriam præparat; quo ſic meritis bonis præparati atque inſtructi ad regni poſſeſſionem introducerentur. Et quamvis dici etiam poſſet præparatum eſſe regnum ex contemplatione meritorum ſub
66. debitę mercedis ratione conſideratum, prior tamen ſenſus Euangelio magis congruit. Non enim dicit, ſalvandis præparatum eſſe regnum propter merita; ſed ad id poſſidendum propter merita vocari; ut illud (*eſurivi enim*) reſpiciat non voculam (paratum) ſed (poſſidete) alioqui dicere debuiſſet, poſſidete paratum regnum, quia eſuriturus eram, & vos mihi daturi manducare.

7. Objectio ad Rom. 8. Sed videri queat Apoſt. Paulus ex meritorum præſcientia prædeſtinationem ſtatuiſſe, cùm in Epiſt. ad Rom. ita ſcribit. Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.

Reſponſio. Verùm ejus loci cùm non ſit una interpretandi ratio, nihil indè pro adverſa ſententia concludi poteſt.

teſt. Eſt autem una reſponſio, ut præſcientia non pro meritorum prænotione capiatur, tanquam propter quæ prædeſtinavit Deus ad Chriſti conformitatis gloriam, ſed pro prædilectione, quod & ipſe annotavit Origenes, hunc Apoſtoli locum interpretans: præſciſſe quos in affectum amoremque recepit; ſicut alias à contrario, dicitur quoſdam neſcire. Quomodò & alibi Paulus rectè intelligitur accepiſſe præſciendi vocabulum, cùm ait, Non repulit Dominus Plebem ſuam, quam præſcivit, id eſt, prædilexit. Etenim familiare eſt divinis litteris, cognitionis & ſcientiæ vocabulum, pro dilectione ponere: quemadmodùm eſt hoc pluribus exemplis ab Ambr. Catharino *Cap. 1. ſumma de Prædeſtinat.* explicatum, hunc eundem, qui objicitur, tractante Pauli locum, adverſus eos, qui vitæ ſalutiſque prædeſtinationem ex meritorum præſcientia ſumebant.

67. Et ſanè, cùm ibi Apoſtolus eleganti gradatione probet, nihil poſſe electis adverſi accidere, quod eorum ſalutem impediat; aptior erit probatio, ſit illud, *præſcire*, affectus & voluntatis eſſe potiùs, quàm, quod alii volunt, rationis eſſe intelligatur. Dicere ergo voluit Apoſtolus prioribus quidem illis verbis, prædeſtinationem, quâ ad beatam cum Chriſto conformitatem præordinantur electi, ex magna Dei erga homines

peccatores dilectione proficiſci; conſequentibus verò verbis inſinuat, prædeſtinationem ad vitam beatam priorem eſſe vocandi juſtificandique propoſito, eoque & præſcientia meritorum: cùm propterea vocare & juſtificare voluerit, quia jam præordinaverat ad vitam æternam. Sed etſi præſcientiam pro intellectus prænotione acceperimus, rectiſſimè intelligitur, voluiſſe Paulus dicere electos ad hoc ipſum eſſe prædeſtinatos ad quod dicantur eſſe præſciti: hoc nimirùm ſenſu, quos præſcivit ab æterno conformes futuros, eos ad hoc ipſum prædeſtinavit, ut tales eſſent. Quia verò ad hoc ipſum eos, ut tales eſſent, prædeſtinavit, qui alioqui aſſurgere eò ſuapte virtute non poterant, idcircò tales futuros eſſe præſcivit. Quem ſanè ſenſum inſinuat Fulgent. de fide ad Petrum c. 34. quò eodem reſpexiſſe & Auguſt. videtur, cùm prædeſtinationem eſſe definit, præſcientiam & præparationem beneficiorum Dei. Apertè autem ſatis expreſſit Anſelmus in ſuo Commentario. Juxta quem modum, planiſſimum eſt, non prædeſtinationem præſcientiâ poſteriorem, ſed priorem eſſe potiùs: quemadmodum, cùm dicit quiſpiam, quas habui facultates & opes, eas mihi induſtriâ & labore paravi; tametſi habuiſſe præponat, non tamen eſt intelligendus, priùs habuiſſe,

De dono perſever. c. 14.

68.

buiſſe, quàm ſuo labore paraverit, ſed ideò potiùs aliquando habuiſſe; quod ad id induſtriam multò antè ſuam laboremque adhibuerit. Certum eſt autem, evinci non poſſe, aliò atque aliò præſcientiam & prædeſtinationem retuliſſe Paulum. Nec enim dicit, quos præſcivit bonos futuros, eos prædeſtinavit, ut eſſent conformes. Quod ſi dixiſſet, probabilis eſſet conſtitutio prædeſtinationis ex præſcientia meritorum. Nunc verò, magis eòdem utrumque ſe retuliſſe ſignificat: nempè ad conformitatem cum Filio Dei, quam indubiè non propterea prædeſtinavit, quia præſcivit, ſed ideò potiùs præſcivit, quia prædeſtinavit. Eſt nihilominùs & tertiús Commentarius, ſecundum quem notio perſonarum ordine rationis, earundem prædeſtinationem antecedat, quem apud Dionyſ. Carthuſ. eſt reperire.

Nec enim ullos Deus prædeſtinavit, tanquam caſu aut ignoranter in eos incidens, ſed priùs ſciens quos eligat. Namque Dei voluntas neque de incognitis eſt, neque circa incognita verſatur, ſed quos præordinavit ad vitam, probè prænoſcit. Ubi non ſignificatur, ex præſcientia eſſe prædeſtinatio, ſed hanc ſine illa non eſſe; neque enim eligere poteſt Deus, niſi præcognitos. Ex quibus palam eſt, ne hanc quidem interpratationem pro ea facere ſententia,

quâ ex meritorum præſcientia fluere prædeſtinatio ſtatuatur.

Reſponſio ad objectionem è veteribus Patribus petitam.

8. *Object.* Sed nunc ad veterum Patrum teſtimonia tranſeamus, qui magno conſenſu adverſari nobis, & Auguſt. doctrinæ exiſtimantur. Et eorum quidem aliquam multos Profeſſores hîc proferunt, longè verò plures in prælectionibus ſuis, ad quos nos remittere ſolent, ubi vel ſolis eorum nominibus lociſque citandis totas paginas implent. Verùm fas nobis ſit quod in judiciis fieri ſolet, teſtes iſtos diſcutere, & eorum explorare fidem ut quàm probati, opportunéque producti ſint, cognoſci poſſit. Et primùm quidem multos in hoc numero videmus, quos ad ferendum teſtimonium non putemus idoneos. In primis authorem illum ſcholiorum apud Hieron. in Epiſtolam Pauli, quem eſſe Pelagii, pluſquam probabile eſt. Fauſtum deindè (de gratia & libero arbitrio) Regienſem, Galliæ Epiſcopum, quem certum eſt, Pelagianæ hæreſeos cum Maſſilienſibus fuiſſe reliquias, atque hoc nomine ſcripta ejus à Gelaſio Pontifice rejecta eſſe, atque damnata à Petro Diacono Orientalis Eccléſiæ ad Sedem Apoſtolicam

cum

eum cæteris Legato, anathematizata à Fulgentio, Maxentio viro Dei, Alchimo Avito Viennenſ. Epiſcopo, Joanne Antiocheno velut hæretica oppugnata, ab Iſidoro Hiſpalen. Epiſcopo & ab Adone Viennen. graviſſimè notata & condemnata, non abſque Gennadii reprehenſione, qui ſimilia ſentiens, Authoris ejus libros approbarat. Quare Sedulium repulſæ hujus participem neceſſe eſt fieri, qui profundâ, ut Iſidorus loquitur, Fauſti calliditate, ut & alii plures, circumventus, ejus ſibi verba libro ſuo inſerenda putavit. Quamquam totum ejus reliquum ſcriptum, nihil aliud quàm ſuperior Pelagii Commentarius eſt, reſectis tamen pleriſque, quæ manifeſtam ejus hæreſim præferebant. Nec alio loco habendus Arnobius ille, cujus breves in Pſalmos enarrationes, uti & Fauſti de gratia & libero arbit. libros, primus nobis in lucem Eraſmus protulit. Qui, ut prudenter à Xixto Senenſi obſervatum fuit, non ille Lactantii Præceptor celebris olim in Africa Oratoria Profeſſor habendus eſt, cujus etiam exſtant ſeptem adverſus Gentes libri, ſed alius quiſpiam, ſeu Afer, ſeu Gallus ſcriptor, quem eadem cum Maſſilienſibus ſenſiſſe intelligi facillimè poteſt ex Commentario ejus in Pſal. 90. 91. 108. & 147. aliiſque compluribus locis, in quibus Dei gratiam infi-

In Epiſt. Pauli.

Lib. 4. Biblioi.

deliter confitetur, eamque ſecundum merita noſtra dari, nullâ verborum ambiguitate tradit. Cùm & Auguſt. de prædeſt. doctrinam, ſed malo more depravatam, odioſam, velut hæreticam traducere non dubitat, & perſonarum acceptorem futurum ait Deum, ſi non ex prævïſis operibus Jacob intelligatur dilectus, Eſau odio habitus. Undè nec illum dubitamus eſſe Arnobium, cujus opuſcula Gelaſius Pontifex apocrypha cenſuit. Sed nec Origenem admittendum putamus, quem conſtat, cùm liberi arbitrii cauſam vehementiùs agit, naſcituro pòſt Pelagio aditum erroris patefeciſſe (quo nomine & Hieron. doctrinam ejus, Origenis vocat ramuſculum) eademque opera, errores proprios, ob quos Eccleſiæ non eſſe homo judicatus eſt, ſubtili arte firmare conatur. Sic nec Theodoretum audiendum in hoc argumento exiſtimamus, qui Origenem ſecutus, ejuſque verba tranſcribens, incautiùs non prædeſtinationem ad gloriam modò, ſed ad gratiam quoque, ex prævïſis meritis ſtatuit.

Lib. 3. penarchon. cap. 1. Ad Cteſiphont. phont.

Poſtremò nec Authorem Libelli de prædeſtinatione & gratia, qui inter Auguſtini opera legitur, alibi & Hieronymi titulo inſcriptus; quem adeò manifeſtum eſt, Auguſtini non eſſe, ut contra ipſum ſcriptus ſit potiùs: ut mirum ſit, ſeriò etiam à nonnullis

nullis citari potuiſſe, qui & dicere auſi ſunt, retractaſſe ibi Auguſtinum priorem ſententiam; ſed ideò in retractationum libris, ejus nullam fieri mentionem, quia poſt illos ſit ſcriptus. Hos itaque in primis teſtes audire nolumus, nec eorum premi teſtimonio. Quibus ſemotis, cæteros deindè excutiamus, & quid ſibi velint perſcrutemur. Et primùm quidem Clemens Romanus cum ſuis recognitionibus occurrit, quem librum etſi ut pſeudographum, ac vero itinerario titulo velut apocryphum (quemadmodùm Xixtus Senenſis docet) reprobatum à Gelaſio rejicere meritò & nobis licuiſſet: tamen quoniam in Apologia inter ſelectos producitur, audire juvat quid Author ille, licet authoritatis non magnæ, de propoſito argumento ſentiat. Ejus ergo è lib. 3. hæc proferuntur verba: Providens Deus quòd poteſtas liberi arbitrii alios quidem faceret bona eligere, alios mala, & propter hoc in duos ordines neceſſariò propagandum eſſe hominum genus, unicuique ordini conceſſit & locum & regem, quem vellet eligere. Quæ ſententia ut pertinere ad inſti- 69.
tutum intelligatur, conceſſionis vocabulum ad præordinationem & prædeſtinationem referendum erit. Sed nihil minùs dicere illìc Authorem illum voluiſſe, ex ſequentibus, quæ hìc ſupprimuntur, verbis clariſſimè

 conſtat.

conſtat. Sic enim habet integrè locus ille recitatus: Unicuique ordini conceſſit & locum & regem, quem vellet eligere, ut non Dei, ſed hominis ſignificetur electio. Quid ergo hic locus ad præſentem cauſam facit? Ergo ad Dionyſium Areopagitam tranſeamus, virum haud dubiè omni exceptione majorem; ſed quàm ejus idoneum ſit teſtimonium expendamus. Id producitur ex c. 9. lib. de cæleſti Hierarchia. Ubi reſpicere ille videtur ad Deuter. c. 26. locum, ubi ſignificatur, quòd quia, vel ſicut, Iſraelitę Dominum ſibi in Deum elegiſſent, ideò ſint ab eo viciſſim electi. Dominum, inquit Moyſes, elegiſti hodiè, ut ſit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & cuſtodias cæremonias illius & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio; & Dominus elegit te hodiè ut ſis ejus Populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi. Ubi inprimis non agit Moyſes de electione ad æternam gloriam, quando multò maxima eorum pars eò prædeſtinata non fuit; ſed de electione ad peculiaria quædam ac veteris teſtamenti beneficia: inter quæ potiſſima erant, lex Dei ejuſque notitia, ac timor, & terra Chanaan, cæteraque eò pertinentia. Ex quibus intelligi poteſt, hanc præ cæteris Gentem Deo charam eſſe, atque dilectam. Deindè nec de hac ipſa electione agit, quatenùs ab æterno

in

in Dei exſtitit mente; ſed de temporali, quæ æternæ illius, nec prima tamen, ſed iterata quædam manifeſtatio innovatioque fuit, ac prædeſtinationis, ſeu executionis repetita promiſſio & confirmatio; cujus aliquod in eis præceſſiſſe nihil prohibet meritum, quale tamen carnalium illorum eſſe hominum potuit. Nam æterna illa, vel ad hæc beneficia electio, totuſque ille executionis ordo, quàm non ex prævíſis eorum fuerat meritis, clarè ſatis Moyſes docet c. 7. & 9. Deuter. Ubi eos negat vel ob numeroſitatis ſuæ dignitatem, vel propter juſtitiam præ cæteris fuiſſe Gentibus electos. Non ergo ex meritorum prævíſione, ſuſpenſa hęc fuit eorum electio, ſed libera, independens, & abſoluta. Quare juvat & cauſam noſtram exemplum iſtud. Quemadmodùm enim terram Chanaan abſolutè illis Deus donare decrevit, ita & electis vitam æternam: ſed hoc interim diſcrimine, quòd poſterius hoc propoſitum, etſi independenter à meritis factum eſt, non abſque meritis tamen futura ſit ejus executio.

Sed progrediamur in examinandis teſtibus. Irenæus, inquiunt l. 4. contra hæreſ. c. 38. ex futurorum præſcientia dictum eſſe ait, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quidni enim? Quando quod facturus eſſet Deus haud dubiè præſciebat: eſt enim præ-

70. deſtinatio præſcientia & præparatio beneficiorum. Alter ejuſdem libri locus ad damnandos pertinet, quorum reprobationem ex prçviſis eſſe meritis confitemur. Clemens Alexandrinus quid in lib. 1. Pedagog. c. 8. pro ipſis faciat, nihil invenimus. Homil. de Jacob & Eſau, clariſſimum eſt, non eſſe Chryſoſtomi, ſed Latini alicujus Scriptoris fragmentum, cujus proindè non magna ſit authoritas: quamquam non deſit quod reſponderi etiam poſſet. Damaſc. 3. c. 30. quem ejus locum apertiſſimum eſſe volunt; de primo homine, ut rectus creatus eſt, loquitur; cujus prædeſtinationem ex præviſis meritis futuram libenter agnoſcimus. Lib. 4. c. 20. docet, quod ſe quiſque vas in honorem, vel in contumeliam faciat, id eſt, ob virtutem glorioſum, vel honorabilem, ob vitia, ignominiâ & ſuppliciis dignum. Non de prædeſtinatione; ſed de præſenti agens juſtitiæ, vel injuſtitiæ merito; quamquam & de prædeſtinationis executione veriſſimè queat eſſe dictum. Ad Theophilactum verò quod attinet, dicimus in primis non eum de prædeſtinatione ad gloriam, ſed ad gratiam locis citatis loqui, atque eò prædeſtinationem apud Apoſtolum referre. Quare laborandum Profeſſoribus erit, ut eum ab errore vindicent; quomodò & alterum ejuſdem locum in illud Joan. 6. Propterea dixi vobis,

vobis, quod nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum. Nec majoris authoritatis Oecumenius nobis eſt, aut etiam Photius, quem ille citat. Cyrilli verò, quem idem Oecumenius adducit, ſententia, nihil de prædeſtinatione loquitur. Theodulus ad manum non erat, ſed facilè cogitamus, nihil à ſuperioribus variare. Inter Latinos Ambroſius producitur.

Et aliquantò ante, ſup. illud nemo poteſt venire ad me, &c.

Cujus in primis locus ille l. 9. in Lucam, non de electione ad gloriam, ſed ad gratiam agit: de Gentilium videlicet vocatione, quos amaturos eligi à Chriſto dicit: ſed quos ſit ex electione facturus amantes. Quid autem ad illud c. 1. Vocatis Sanctis, pro 71.
ipſis Ambroſio inſcriptus Commentarius dicat, in noſtris exemplaribus nihil invenimus. In illud c. 1. ad Galatas, qui me ſegregavit ex utero, non de electione agit ad gloriam; ſed ad gratiam, deque vocatione ad fidem & Euangelii miniſterium. Hieronymo inſcriptus Commentarius in Pſal. 64. ſi attentè legatur, non modò nihil contra nos; ſed pro nobis facit potiùs. Neque enim quę citant verba hunc habent ſenſum, qui ſe dignum electione præbuerit, id eſt, qui ſe dignum præſtiterit, ut ille eligatur, ſed qui ſic vixerit, ut electos decet, ac Dei electione dignum eſt, ipſaque poſtulat, is habitabit cum eo: quomodò ſi quis

dicat, qui ſe dignum præbuerit vocatione Dei, habitabit cum eo. Ubi ſenſus non eſt, qui ſe dignum præbuerit ut vocetur (hic enim falſus ac erroneus eſt, cùm primæ vocationis nullum ſit meritum) ſed ut vocatum à Deo dignum eſt vivere. Similiter ergo intelligenda ſuperiora illa, de electione, commentatoris illius verba. Qui ſenſus in ipſo fonte luculentus etiam apparet: ubi non per ablativum, vocatione, ſed dandi caſu, vocationi, legitur. Quę mutatio caſune an ſtudio in verbis eorum facta ſit, ipſi viderint.

Sed neque ait Scholaſtes ille, qui ſe dignum electioni præbuerit, aut quem videt ſe dignum præbiturum, eum eligit; ſed is habitabit cum eo, id eſt, electionis effectum finemque aſſequetur, ut in ſupernis, cum Deo tabernaculis habitet. Ubi non prędeſtinationis; ſed executionis ejus expreſſus intelligitur ordo. Primaſii in Paulum Commentarius, quoniam Pelagiani illius ſcripti, cujus ſup. initio fecimus mentionem, non aliud quàm lima & caſtigatio quædam eſt, tametſi non ubique ſemper ſatis exacta, & diligens, contentus hoc loco hęreticum, qui in Pelagii latebat verbis, excludere ſenſum, de Apoſtoli germana ſententia non ita ſollicitus fuit. Undè Pelagii verba nonnullis reſectis duarum vocularum

(quæ

(quæ hîc à Profeſſoribus tamen omittuntur) adjectione temperavit. Prędeſtinavit, inquit, ut qui dono ejus eſſet conformis in vita, eſſet conformis in gloria. Ubi tamen ad executionis reſpicere ordinem potuit poſteriori juſtitiæ prædeſtinationi reſpondentem. Et hactenùs quidem ad 20. Authorum teſtimonia reſpondimus, quos partim quidem ut parùm ad teſtandum idoneos, partim ut parùm opportunos, rejiciendos eſſe docuimus, ut tantus ille tamque terrificus teſtium numerus ad pauculos prorsùs tres videlicet, aut ad ſummum quatuor, vel 5. reciderit, qui 72.
tempeſtivum aliquid dicere videantur. Undè mirari ſatis non poſſumus inconſideratam iſtàm contra Scriptorum ipſorum mentem citandi rationem, ut facile appareat, non eſſe ipſorum verba (quod nimis hîc frequenter occurrit) ex ipſis fontibus, & diligenti eorum contemplatione allata.

Sed, his omiſſis, ad cæteros, qui reſtant, veniamus, & quid pro diverſa ſententia dicere videantur, audiamus. Horum primus Ambroſius eſt, cujus l. 5. de fide. ad Gratianum c. 3. hęc ſunt verba. Quid eſt, inquit, quod Dominus ait, non eſt meum dare vobis? non eſt meum, qui juſtitiam ſervo, non gratiam. Denique ad Patrem referens, addit, quibus paratum eſt, ut oſtenderet Patrem quoque petitionibus

non

non deferre ſolere; ſed meritis, quia Deus acceptor perſonarum non eſt. Undè & Apoſtolus ait, quos prę́ſcivit, & prędeſtinavit. Hęc ille. Ubi manifeſtum eſt, loqui eum de vita æterna ſub ratione mercedis;
73. quam ſic conſideratam, ut certum eſt, meritorum eſſe intuitu præparatam (neque enim merces præparari niſi merito poteſt) ita perſpicuum eſt, debitam eſſe ſecundum juſtitiam, quemadmodùm expreſsè ipſe ſignificat: ideòque hâc comparatione ad electionem gratiæ ſeu prædeſtinationem gratuitam, de qua parte hîc agitur, minimè pertinere.

Cæterùm præter hanc mercedis præparationem, quæ ad Dei juſtitiam pertinet, agnoſcenda in primis eſt, ut ſuprà diximus, vitæ æternæ, quâ ratione gratia eſt, præ-
Rom. 6. paratio, juxta id quod Paulus prædicat, gratiam Dei eſſe vitam æternam, gratiæ autem apud Apoſtolum rationem non haberet, niſi quâdam conſideratione eſſet indebita, & homini ex ſeipſo nihil meritorum adferenti, planeque indigno, gratuitâ Dei miſeratione præparata, quæ gratiæ præparatio propriè & ſecundum Auguſt. definitionem, prædeſtinatio eſt. Quod verò adjungitur apud Ambroſium hiſce verbis: non enim ante prædeſtinationem, quam præſciret, ſed quorum merita prę́ſciret,

eorum

eorum præmia prędeſtinavit: tametſi rectè accipiatùr juxta explicatum à nobis ſenſum, de prædeſtinatione juſtitię, non gratiæ; ſciendum tamen eſt, vetuſtiora exemplaria diverſis impreſſa temporibus, ea vérba non habere, & haud ſcimus quânam ratione in textum Ambroſianum irrepſiſſe potuerint. Eadem reſponſio eſt, ad Commentarium Ambróſio inſcriptum, in illud ad Rom. 8. Nam quos pręſcivit & prædeſtinavit. Cujus verba ſic habent: Iſtos enim, inquit, quos pręſcivit futuros ſibi devotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda. Ubi cùm expreſſam pręmii faciat mentionem, ſatis inſinuat, non de gratuita prædeſtinatione, ſeu gratię electione ſe loqui, ſed eâ, quâ ſecundum juſtitiam Dei merces pro fide & labore decernitur. Quamquam ex tribus Commentariis, quos ſuprà poſuimus, unum aliquem huic expoſitioni præferendum eſſe putemus.

Quod verò in c. 9. ejuſdem Epiſt. ſcribit: unum, videlicet Jacob, elegit præſcientia, & alterum ſprevit: cum in primis recipere Commentarium queat, quem indicat Auguſt. l. de dono perſever. c. 18. ut nimirùm pręſcientiam pro prędeſtinatione author ille eo loco poſuerit; cujus intelligentię videri poſſit ſignificationem aliquam ſuggerere, quod ſubjungit dicens, & in

illo, quem elegit, propoſitum Dei manet, quia aliud non poteſt evenire, quàm ſcit & propoſuit in illo, ut ſalute dignus ſit. Porrò ne à Scripturæ quidem uſu alienum eſſe, ut præſciendi, ſeu pręſcientię vocabulum pro prædeſtinatione ponatur, præter eum locum quem Aug. profert ex c. 11. ad Rom. ôſtendit etiam Epiſt. Petri prioris exordium, ubi ſcribit electis advenis ſecundum præſcientiam, id eſt, præfinitionem & præordinationem Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus. Quamquam intelligi etiam Commentarius ille poſſit, ut de electione ad gloriæ mercedem dicatur eſſe locutus; præſertim quia paucis interpoſitis dicat in hunc modum: hoc quaſi præſcius, non perſonarum acceptor; nam neminem damnat antequam peccet, & nullum coronat, antequam vincat. Declarat igitur Author ille, non decerni à Deo vel pręmia, vel pœnas, nullo cauſæ habito reſpectù; ſed præmia quidem ob merita bona quæ præſcivit, pœnas verò ob peccata. Eandem recipiunt ſolutionem Chryſoſtomi verba, quæ expreſſit Hom. 80. in Matth. tractans illud: Venite benedicti Patris mei. Nam antequam, ait, nati ſitis, quia ſciebam vos ejuſmodi futuros, hæc vobis à me pręparata fuerunt. Agit ergo manifeſtè de præparatione pręmiorum, quę

in

in quantum hujuſmodi, ex præviſione fluit meritorum; ſed eorum, quæ ideò præviſa ſunt, quia donanda fuerunt ad conſequendum beatæ vitæ finem gratuitâ & abſolutâ Dei prædeſtinatione peccatoribus ab æterno præparatum. Damaſceni locus ex dial. contra Manichæos quem hoplothecæ titulo ex Turriano citant, nullam nobis ex ſupradictis difficultatem parit. Loquitur enim, ut ex antecedentibus illis verbis conſtat, de gubernatione Dei, quæ, providentiæ, propoſiti, ac prædeſtinationis executio eſt, quâ velut juſtus Judex pro meritis cuique vel præmia, vel pœnas reddit: quæ quoniam futurorum ſit præſcius, ab æterno eum ait immutabiliter præfiniviſſe ac prædiſpoſuiſſe. Sic enim ejus ſe habent verba: Deus omnibus proſpicit, omniaque gubernat, nobis tamen, qui nec quæ futura ſunt, nec quæ præterire, nec ea omnia quę præſentia ſunt novimus, ejus gubernatio minimè æqua videtur, cùm ſit æquiſſima, optima, juſtiſſimaque. Nam quę in nobis ſunt, ceu pręſentia cognoſcit, quæque futura ſunt juſtè, prout illi placet, & vult, & judicat. Et mox: Deus, inquit ita judicat, ut numquam judicii eum pœniteat, neque etiam poſt latam ſententiam tunc demùm rem agnoſcat, ſed omnia priuſquam fiant, præcognoſcit, ac unicuique quantum condu-

fol. 561. in fine & 562.

cit,

cit, juſtè ac prudenter prædeſtinavit: concinnè ea quæ extra nos ſunt, eis quæ penes nos ſunt, pręordinans. Hinc paulò pòſt ea ſubjungit verba,quę ab ipſis urgentur: Pręvidens itaque Deus ea quę nos ſponte facturi ſumus, ea videlicet, quæ in noſtra ſunt poteſtate,virtutem puta & vitium,& ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate(æterna videlicet præmia & ſupplicia) pręd efinivit. Ubi manifeſtum eſt, eum agere non de gratiæ, ſed juſtitiæ prædeſtinatione, & prædefinitione, quâ pro benefactis mercedem ac pręmia decernit. Porrò Clemens Alexand. tametſi ob non paucos errores detracta ei à Gelaſio authoritas eſt, ut meritò etiam rejici à nobis potuerit, tamen quid dicat expendere non gravabimur. Sed ſententia ejus de fonte ſuo repetenda eſt, non ut à Profeſſoribus refertur, truncata. Eccleſia Catholica, inquit, lib. 7. Stromat. Dei voluntate per unum Dominum congregat eos, qui jam ſunt ordinati, quos prædeſtinavit Deus, cùm eos juſtos cognoviſſet. Hic locus etiam pro nobis facit. Nam in prioribus illis verbis (congregat eos, qui jam ſunt ordinati) alluſio eſt aperta ad illud Actor. 13. Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam: ubi noſtra apertè confirmatur ſententia. Quod autem ſequitur, rectum ac facilem habet ſenſum: Quos prædeſtinavit,

navit, cùm juſtos cognoviſſet: ſed tales utique ſuo munere facturus; facturus autem ad aſſequendum prædeſtinatum gloriæ finem, in quem eos jam antè ordinarat. Supereſt Hieron. cujus in 1. c. Malachiæ hæc ſunt verba: Porrò dilectio & odium Dei, vel ex præſcientia naſcitur futurorum, vel ex operibus: alioqui novimus, quod omnia Deus diligat, nec quidquam eorum oderit quæ creavit; ſed propriè eos ſuæ vindicet charitati, qui vitiorum hoſtes ſunt & rebelles, & è contrà illos odit, qui à Deo deſtructa cupiunt rursùs exſtruere. Hoc loco, quod ad odium pertinet, clarum eſt, quod ait, ex præſcientia naſci futurorum. Neminem enim odio habet Deus, niſi peccati, quod præſcit, intuitu. Alterum verò expoſitione indiget, cùm ſit manifeſtum, quod etiam vitioſos diligat; & quemadmodum Apoſtolus ad Rom. docet, ſuos quoque inimicos; pro quibus obire non dubitavit, ut amicos ſibi ex inimicis redderet. Alioqui enim & dilectio quæ ad gratiam ſit impertiendam, ex præſcientia erit meritorum, ſi neminem omninò diligat, niſi quem vitiorum invenerit hoſtem. Dicit ergo Hieron. quod neminem Deus ad gloriam diligat, id eſt, quod nemini dare gloriam ſtatuerit, niſi qui vitia odiſſet:

hoc autem quibus aliquando ineſſet, id præſcivit antequam eſſet, ſed ideò futurum præſcivit, quia per gratiam ſuam id erat ipſe effecturus: & hoc propterea, ut is, qui erat peccatori gratuitâ prædeſtinatione prædeſtinatus, finis, eſſe quoque poſſet juſtum præmium merceſque laboris. Idem verò q. 10. Epiſt. quam ſcribit ad Edibiam, hæc habet verba. Vaſa, inquit, miſericordiæ quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit (hoc eſt, nos qui non ſolùm ex Judæis ſumus, ſed etiam ex gentibus) non ſalvat irrationabiliter & abſque judicii veritate, ſed cauſis præcedentibus; quia alii non ſuſceperunt filium Dei, alii autem recipere ſuâ ſponte voluerunt. Et mox: ex quo, inquit, oſtenditur, non gentes eligi, ſed hominum voluntates. At his Hieronymus verbis non aliud vult dicere, quàm æternam hominum ſalutem ex meritis eſſe, & eam quemque adipiſci, non quia certæ ſit Nationis, ſed quia bonæ ſit voluntatis.

Et hæc quidem ad Veterum teſtimonia dicta ſufficiant: ex quibus intelligi queat, quàm noſtræ & Aug. ſententię non ſint adverſi: quidquid ad Scholaſticos Doctores & Neotericos nonnullos ſit reſpondendum, qui prædeſtinationem ad

ex meritorum præſcientia interdùm profluere dicant, ac in primis ad Ruardum & Driedonem in Apologia citatos, quando diſertis verbis præmii ac remunerationis faciant mentionem; id quod à Dominico Bannes obſervatum fuit p. 1. D. Th. q. 23. art. 5.

Nulla hîc ergo inter Græcos Latinoſque & Aug. hac in parte diſcordia aut diſſidium eſt, nec ad eos inter ſe conciliandos neceſſe eſt ad diverſam confugere prædeſtinationis apud eos ſignificationem; ut ille quidem propoſitum intellexerint donandæ vitæ æternæ, Aug. verò gratiæ, quæ ducat ad vitam. Nam is tametſi adverſus Pelagium intentus, ad totam ferè reſpiciat effectuum prædeſtinationis congeriem, cujus à ſui exordio nullum in nobis ſit meritum, nonnunquam tamen & ad ultimum reſpicit effectum, ad quem gratuitò etiam prædeſtinatos eſſe nos velit; non ſolùm non ex legis vel naturæ, ſed nec gratiæ quidem præviſis operibus. Sed ubi ea certiſſima, ſolidiſſima, facillimaque conciliandi ſit ratio; ſi illos dixerimus de prædeſtinatione & electione non gratiæ, ſed juſtitiæ locutos; Auguſtinum verò de gratuita: quomodò palam eſt, Apoſtolum uſurpaſſe, quando electionem gratiæ nobis 74.

De prædeſt. Sanct. c. 14. & l. de dono perſev. c. 20.

commendat. Undè conſtat Auguſtini explicationem Apoſtolo magis congruere, ac verum eſſe, quod poſt Auguſtinum etiam Ruardus a. 7. f. 335. annotare non dubitavit: ante exortam Pelagii hæreſim non fuiſſe exactè diſputatum de divinæ prædeſtinationis & reprobationis judiciis, & nondùm hujus myſterii difficultates in quæſtionem veniſſent, hæreticis Pelagianis nondùm Eccleſiam perturbantibus. Sed loco huic priuſquam finem imponamus, breviter nobis ad Auſtini loca quædam danda reſponſio eſt, quæ à quibuſdam objiciuntur, ut eum ſibi ipſi adverſum faciant, atque contrarium. Auguſtinus, inquiunt, in prædeſtinationis definitione non præparationem tantùm, ſed etiam præſcientiam ponit. Prædeſtinatio, inquiens, eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei. Prædeſtinationem ergo ex meritorum præſcientia ſtatuit. Reſpondemus jam ſup. à nobis fuiſſe admonitum, Auguſtinum eòdem per omnia præſcientiam & præparationem referre, hoc eſt, ad univerſa beneficia, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Nec enim dicit, prædeſtinationem eſſe præſcientiam meritorum, & propter merita præparationem gloriæ; ſed eſt, inquit, præſcientia,

De dono perſever. c. 14.

Ad apolog. Aſſert. 1. de prædeſtin.

tia, & non ſolùm præſcientia, verùm etiam præparatio beneficiorum Dei, quibus certa electorum liberatio continetur. Eodemque modo reſpondere licebit ad id quod habet 6. liber hypognoſt. apud Auguſtinum. Proptereà, inquit, prædeſtinat, quia quale futurum ſit præſcit. Neque enim ſignificare voluit, prædeſtinationem ex meritorum eſſe præſcientia, ſed præſcientiam & prædeſtinationem ad idem referens objectum, hoc dixit. Hoc enim eſt Deo prædeſtinare, ut repetit non ſemel Auguſt. quod futurum ipſius opere ſit, præſcire. Quod enim ille Hypognoſtici Author noluerit vitæ prædeſtinationem ex meritorum præſcientia definire, aliquantò pòſt ſatis apertè oſtendit. Dicimus, inquit, de damnabili hominis maſſa Deum præſciſſe miſericordiâ, non meritis, quos ex electione gratiæ prędeſtinavit ad vitam. Sed cur ergo, inquiunt, præſcientiam in ſua definitione poſuit Auguſtinus? Quia nimirùm prædeſtinatio ſine præſcientia, hoc eſt, certâ futurorum prænotione non ſit. In quo plurimùm ab humanis prædeſtinationibus divina diſtinguitur. Homines enim multa ſæpè facere conſtituunt, quæ facturine ſint, incertum habent: Proponit enim homo, & Deus diſponit. At verò Deus

quæ facere diſpoſuit, quæque ſuis electis donanda præparavit, ea ſcit certò ſe eſſe donaturum. Ideò & alibi Auguſtinus: Iſta, inquit, dona ſua quibuſcumque Deus donat, procul dubio donaturum ſe eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit. Et infrà. Nam in ſua, inquit, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omninò, nec aliud quidquam eſt prædeſtinare. Ideò ergo præſcientiæ nomen in prædeſtinationis deſcriptione Auguſtinus cenſuit interponendum, ne divina prædeſtinatio abſque ſcientiæ certitudine cogitetur. Sed cur priùs, inquiunt, præſcientiam poſuit, deindè verò prædeſtinationem? Non ideò factum, quia præparationem antecedat præſcientia, tanquam propterea præpararit, quia præſcierit; cùm è diverſo, potiùs præſciat ſe donaturum quippiam, quod id voluntate, quæ effectu fruſtrari non poteſt, donare propoſuerit. Nam & quiſque noſtrum non propterea vult facere aliquid, quod ſe id facturum putet, verùm ideò ſe putat potiùs facturum, quia facere diſpoſuerit. Itaque non prædeſtinatio, ſeu præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur, præſcientiam ſequitur, ſed præſcientia præpara-

De dono perſever. c.10.

parationem. Quænam ejus ordinis in illa deſcriptione cauſa? videlicet quod latiùs pateat & ad plura ſe extendat præſcientiæ nomen. Quæcumque enim prædeſtinat, ea etiam prænoſcit; at non è diverſo, quæcumque præſcit, etiam prædeſtinat. Prædeſtinatione quippè, inquit Aug. eodem c. 10. præſcivit ea Deus, quæ fuerat ipſe facturus: præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quęcumque peccata. Poſtremus eſt Auguſtini locus in l. 83.qq. q. 68. quem nonnulli objiciendum putent, ubi his utitur verbis. Prorsùs, inquit, Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat; ſed hæc voluntas Dei injuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis: quia & ipſi peccatores, cùm propter generale peccatum, unam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter ęos diverſitas. Hæc ille. Reſpondemus B. Auguſtinum non hîc de prædeſtinationis, ſed juſtificationis agere merito, quam miſericordiæ hîc nomine ſignificat. Id quod ex ſequentibus ejus verbis eſt manifeſtum. Præcedit ergo aliquid, inquit, in peccatoribus, quo, quamvis nondùm ſint juſtificati, digni efficiantur juſtificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione. Ubi ta-

men, ne quis prædeſtinationem gratiæ Dei, quâ peccator convertitur ex meritorum præſcientia primam illam converſionem antecedentium, venire Auguſtinum dicere putet. Obſervandum loqui Aug. non de 1. illa miſericordia, quæ datur averſo, ut convertatur ad Deum; ſed de poſteriore, quæ jam converſo datur, ut juſtificetur. Quam 2. miſericordiam venire docet ex occultis ſyncerae converſionis, ac pœnitentiæ meritis, quæ vulgò de congruo vocantur; quemadmodum ſequentia ejus verba planiſſimè declarant. *Quia, inquit, etſi levioribus quiſque peccatis, aut certè quamvis gravioribus & multis, tamen magno gemitu & dolore pœnitendi miſericordiâ Dei dignus fuerit, non ipſius eſt, qui ſi relinqueretur interiret, ſed miſerentis Dei, qui ejus precibus doloribuſque ſubvenit. Parùm eſt enim velle, niſi Deus miſereatur; ſed Deus non miſeretur, qui ad pacem vocat, niſi voluntas præceſſerit, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Et hæc quidem ad ea, quæ ex Auguſtino contra Auguſtinum partim ab ipſis, partim ab aliis objici cognovimus. Quare cùm hæc ita ſe habeant, ut Auguſt. non modò non ipſe ſibi, ſed nec

cæteris Patribus, ſeu Græcis, ſeu Latinis in hoc immediatæ & abſolutæ prædeſtinationis ad vitam argumento, ullo pacto adverſetur; ejuſque ſententiam & rationi & Scripturis Sacris valdè conſentaneam eſſe docuerimus, neque ullum ab iſtis productum ſit argumentum, quod non diſſolutum putemus, nihil dubitationis nobis eſt, quin ſit alteri longè præferenda, non ut probabilior tantùm, verùm etiam tutior. Quapropter judicent æqui rerum 75.
æſtimatores, quale ſit, quod ſcribere iſti in Apologiæ ſuæ præfatione reveriti non ſint: Doctrinam videlicet adeò B. Auguſtini non eſſe, ut Calvini ſit potiùs, qui falsò eam Auguſtino imponat. Rursùm, quod ejus cùm libero arbitrio conciliandæ tantoperè difficultatem exaggerent, ut ſatis ſignificent, eſſe impoſſibilem. Nam ſentire eos conciliari omninò non poſſe, etiam difficultatis vocabulo ad molliendam tantam invidiam uti, nemo non facilè videt. Certè palam clamitat Aſſertio 23. & quæ paulò pòſt ex eorum dictatis producemus verba. Quomodò per iſtos hanc nobis retinere licebit ſententiam? Sed nos ad hanc objectionem ut reſpondeamus, ipſa nunc ordinis ratio poſtulat.

Ad Apologiam Aſſertionis 23.

CAPUT IV.

SUperiorem prædeſtinationis ordinem ab Auguſtino conſtitutum, in publicis prælectionibus ſuis Profeſſores Societatis impugnantes, inter cætera ita argumentabantur. Electio eſt etiam ad certum gloriæ gradum, ut ipſi fatentur: ergo in particulari debent eſſe præordinata omnia merita illius electionis, quia debent ex ęquo reſpóndere magnitudini gloriæ; ergo omnia opera juſtorum, & omnes circumſtantiæ meritum augentes, debent abſolutâ Dei voluntate eſſe præordinatæ ante omnem prævifionem operum; atque ſic non poſſet homo unquam aliud bonum, nec aliter operari, quàm eſſet à Deo præordinatum; quod eſt contra libertatem. Quo argumento convicti Veteres Prædeſtinatiani, concedebant, prædeſtinationem tollere liberum arbitrium, quod & fecit Calvinus &c. hactenùs illi, hanc conſequentiam, ſi Calvini eſſe exiſtimant (nam locis in Apologia citatis nihil tale reperitur) eamque probant, non Calvinum ipſi impugnant, ſed cauſam ejus plurimùm adjuvant.

Lib. 3. inſtit. c. 21. §. 7. & c. 22.

Ad-

Admittimus ergo, Deum ante omnem operum prævíſionem, non modò certum cuique electorum gloriæ gradum, ſed etiam omnia media ad eum, veluti finem, neceſſariâ, abſolutâ & efficace voluntate præordinaſſe. Siquidem antè voluit opera Sanctorum cum ſuis circumſtantiis, quàm prævidere ea poſſet; quum ideò præviderit, quod vellet in iis per ſuum Spiritum, in uno quidem ſic, in alio autem ſic, operari. Neque tamen ſequitur neceſſariò quemquam, ſed liberè & contingenter illa eſſe facturum, ut & aliter, 76.
& aliud agere poſſit. Sic enim ea, ut fierent liberè videlicet & contingenter ſimul, & Deus præordinavit, atque ut præordinavit, ita eveniunt. Quare nihil obſtat hoc argumentum ſuperiori Auguſtini ſententiæ. Interpretationem autem, quam dictis ejus adhibet Apologia, ſuperabundè refutavimus. Quid verò eos juvet D. Thom. q. 6. quem citant de veritate art. 3. non ſanè videmus: quin potiùs quæ contra ipſos faciant, non pauca indè repeti queunt. Nam quod dicere illum ibi ajunt, non eſſe omnia prædeſtinationis media à Deo præordinata, nuſquam illic legitur. Cæterùm quod Cenſuræ noſtræ argumentum, quo ſuperiorem impugnamus ratiocinationem, eludere re- 77.

torquendo conantur: irrito & inani hoc faciunt conatu: quia ſive per ſeipſum facere aliquid Deus decreverit, ſive per cauſas ſecundas fieri voluerit, non poteſt voluntas ejus & operatio impediri, quin ſuum ſortiatur effectum. Quamvis enim ſecundarum cauſarum operationes, quatenùs ab ipſis immediatè procedunt, impediri poſſint, tamen in quantum ad Dei voluntatem & operationem, ut cauſſam
78. referuntur, impediri non poſſunt. Non enim ſimul hæc duo conſiſtunt, ut ſimpliciter aliquid Deus velit, & tamen non ita fiat, ut voluit. Fatemur ergo bona hominis opera, quâ ratione ab ipſo fiunt, impediri poſſe, quia cauſſa ipſa impedibilis eſt; quâ verò ratione à Dei voluntate & diſpoſitione procedunt, impediri non poſſe, quia Dei voluntas cauſa eſt inimpedibilis; ſic ut tamen quod per ſeipſam facere voluit, non neceſſariò, ſed liberè factum eſt; quanquam impediri non potuerit. Ita quod in bonis operibus producendis per hominem vult facere, non neceſſariò, ſed liberè fit, ſive ab ipſo ſive ab homine; quamvis ne fiat, poſitâ Dei voluntate, impediri non poſſit. Et rursùm, ſi, quod fieri per ſuam creaturam voluit Deus, ideò fieret neceſſariò, quia fieri hoc Deus abſolutè voluiſſet, ſequeretur

etiam

etiam neceſſariò id decretum factum, quod per ſeipſum facere immobiliter & abſolutè decreviſſet.

Cùm ergo tale Dei decretum nullam hîc neceſſitatem adferat, neque illic ſanè adferet. Namque in hac cauſſa nihil intereſt, ſive per ſeipſum ſive per ſuam creaturam voluerit Deus; modò ſimpliciter id fieri atque exſtare voluerit. Siquidem ex ſola ſuppoſitione abſolutę hujuſmodi voluntatis iſta petatur neceſſitas. Quod verò deindè ſubjungitur: Dei decretum in ipſius eſſe poteſtate, non itidem in noſtra, eoque illius non impediri libertatem, ſed impediri noſtram, in eo quod ex illo decreto neceſſariò ſequitur: hoc, inquam, nullam eis præbet evadendi viam. Primùm, quia neceſſitatem colligunt ex ipſa talis decreti ſuppoſitione, quâ factâ, non eſt mutationi locus. Deindè etſi decretum Dei in cauſſæ 2. non ſit poteſtate, ipſam tamen ejus conditionem in agendo naturalem non immutat, eoque effectus contingentiam & libertatem non impedit: alioqui enim ſequeretur, liberam non fuiſſe Gentium converſionem, ſed neceſſariam, quia abſoluta Dei promiſſio de converſione Gentium, undè illa per neceſſariam conſequentiam futura colligitur, non erat in hominum convertendo- 79. 80.

rum

rum poteſtate: Eſtque ante annos 112. in hac Univerſitate cujuſdam Petri de Rivo hæc primùm cenſurata, deindè verò in Urbe Roma ſub Xixto Quarto damnata, & ap ipſo præſente revocata propoſitio.

81. *Quod ex inimpedibili per neceſſariam ſequitur conſequentiam, hoc inimpedibile eſt, ac neceſſarium.*

Quid autem aliud iſti dicunt, cùm ſic ajunt, Deus ita præordinat, ut poſſit non prædeſtinare, nos autem facere non poſſumus, ut in ſua æternitate non ita præordinet; undè manet ipſe liber, nos liberi ſimiliter non manemus. Quorum & alibi hoc eſt axioma:
82. *Quando aliqua ſuppoſitio non eſt in noſtra poteſtate, ut ea ponatur, vel non ponatur, id quod per neceſſariam conſequentiam ex ea ſequitur, abſolutè neceſſarium eſt.* Tertiò ſequeretur per præſcientiam deſtrui libertatem. Non enim facere poſſumus, ut non præſciverit Deus quid eſſemus facturi. Ex eo autem quod præſcivit futurum, per neceſſariam collectionem, futurum eſſe concluditur: ergo per ejus præſcientiam liberi manere non poſſumus. Quartò ſequitur, & Dei decretum, poſt abſolutam prævifionem conſequendæ ſalutis afferre neceſſitatem, quia facere non poſſumus, quin ſalvare Deus decreverit quos benè operaturos prævidit. Indè autem neceſſariò colligitur, nos eſſe ſalvandos,

vandos. Abſolutâ ergo neceſſitate ſalvabimur. Quintò dicere non licebit ſecundum S.Thom. doctrinam, quod ante cauſarum ſecundarum prævißionem, eſſe aliquam voluerit in rebus contingentiam; quia ſi ſic voluit, cùm id impediri non poſſet, non erit contingentia, ſed neceſſitas: ſi erit contingentia, non ſic voluit; eritque repugnantia in adjecto, & impoſſibilis D. Thom. poſitio. Deniquè cùm ex tali antecedente, hoc eſt, abſoluta ejuſmodi voluntate, concedimus hæreticis conſequentiam neceſſitatis, & libertatis deſtructionem, multùm ſanè, ut ſup. diximus, illorum adjuvamus cauſam, eoſque in ſuo errore firmamus, eoque antecedens verum eſſe, & authoritate, & ratione, probabiliter ſaltem, edoceatur. Quo fit, ut dum videri volumus hæreticos impugnare, imprudenter eos adjuvemus, noſque ipſos evertamus. Quare non debet injuſta videri ejus loci Cenſuræ ſeveritas. *p. 1. q. 19. cap. 8.*

Ad Apologiam Aſſertionis 24.

CAPUT V.

NOn eſſe omnia ſalutis media ante omnem prævißionem abſolutè à

Deo

Deo præordinata, hujuſmodi argumento probare conabantur. Martyria & afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis, ſunt excellentiſſima media ſalutis ipſorum; ergo etiam hæc ante omnem prævisionem erunt præordinata, quod eſt falſum: quia Deus non eſt author peccati. Ita illi. Hanc ratiocinationem exemplo præordinatæ mortis Chriſti, in Cenſura breviter refellebamus. Cui argumento
83. Apologia reſpondens, negat ipſam quoque Chriſti mortem, ut tali, & tali modo interficeretur, ante prævisionem malitiæ Judæorum abſolutè præordinatam, ſed permiſſam tantùm à Deo fuiſſe. Id quod nobis non parùm ſanè ac meritò diſplicet. Nam ſi mors & paſſio Chriſti permiſſa tantùm à Patre eſt, non volita, decretoque ejus præordinata atque diſpoſita, non ergo Deus per filii ſui mortem humanum genus redimi abſolutè voluit, nec talem ſibi hoſtiam offerri, nec divinæ juſtitiæ eo modo ſatisfieri. Neque enim, ut hæc verè dici queant, ſufficit, ut ea conſilii ſui altitudine permiſerit, quandò eâdem conſilii altitudine occidere Judæis permiſit, qui tamen ut occiderent non voluit. Neque tamen hinc ſequitur, quia Chriſtum ſuum mori atque occidi Pater voluerit, voluiſſe quoque ut eum Judæi,
vel

vel aliqui alii per malitiam occiderent, ut ita peccati author eſſe videatur, id quod hi cum Calvino ſequi præſupponunt, in eoque partes iterùm ejus non parùm adjuvant. Sed hoc ſequi negamus. Potuit 84.
enim Filium ſuum per manus innocuas Pater ipſe occidere, quemadmodùm præcepit Abrahæ, ut Filium ſuum Iſaac immolaret. Quæ igitur circa Chriſtum ſuum facere per ſe ipſe Pater potuit, ea ut fierent, ad hominum ſalutem abſolutè voluit atque diſpoſuit: quod ſanè propoſitum ſuum ut impleret, Judæorum malitiâ, quam ad hæc paratam fore prævidebat, uti conſtituit.

Quocirà ut Chriſtum Judęi occiderent, in eumque odio ſeu malignitate ſævirent, permiſit tantùm; non autem (in quo Calvini eſt error) etiam decrevit.

Ut verò Chriſtus occideretur, & eo ſupplicii genere afficeretur, idque eo tempore ac loco, divinę non tantùm fuit permiſſionis, ſed etiam diſpoſitionis ac voluntatis. Sed neque ſufficit, quod addit Apologia: datum eſſe Chriſto præceptum, ut mortem perferret. Nam præceptum datur etiam cuique noſtrum, ut carnis tentationes, quando invitis nobis oboriuntur, patienter toleremus; nec tamen diſponit Deus, ut hujuſmodi tenta-

tiones exurgant, ſed permittit tantum modò, & Chriſtus Diaboli tentationem, quam vitare potuerat, perferre utique debuit. Non voluit tamen Deus ut eum diabolus tentaret, ſed permiſit tantùm: ſicuti & blaſphemias paſſionis tempore eidem illatas permiſit tantùm, non voluit. Neque enim blaſphemare ipſe, ſicut occidere potuit, vel occidendi dare præceptum. Sed cùm hoc poſſet, maluit optimam ſuam de Chriſti morte & immolatione voluntatem, per præcognitam Judæorum implere malitiam, non autem, uti Calvinus delirat, à ſe ad hoc incitatam. Quia verò voluntatem ſuam per Judæorum implevit malitiam, ideò percuſſiſſe filium ipſe dicitur; quia ut percuteretur diſpoſuit.

Nam his quoque, per ſuam permiſſio-
85. nem, Apologia non ſatisfacit. Si enim ideò percuſſit, quia percuti permiſit, & non protexit; ergo dici poterit etiam, Judæos exſtimulaiſe ad Chriſti necem, quia ne & à ſeipſis, & à diabolo exſtimularentur, non eos protexit, ſed, ut digni erant, ad tantum nefas agi permiſit. Evaſiones ergo iſtæ neque Scripturas explicant, neque doctrinæ ſaniori ſatisfaciunt.
3. p. q. 47. art. 3. Et ideò D. Thom. aperiens in Summa, quomodò Pater Chriſtum paſſioni tradiderit

derit, pro ratione non tantùm ponit, quod eum non protexerit, ſed perſequentibus expoſuerit, aut quod ei patiendi voluntatem, per charitatem inſpirarit, verùm etiam quod æternâ ſuâ voluntate præordinarit Chriſti paſſionem ad humani generis liberationem; ſecundum illud, inquit, quod dicitur Iſaię 53. Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum. Et iterùm: Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Mirum eſt autem Profeſſores, cùm priores duas ex D. Tho. rationes deſumpſerint, tertiam, quæ ibidem ſubjungitur, diſſimulare voluiſſe; id quod animi eſt ſanè parùm candidi, & veritatem non ſatis ſincerè inveſtigantis. Concurrunt autem ad D. Thomæ explicationem veterum etiam Patrum ſententię, ut Leonis ſerm. 9. de paſſione Domini. Sacramentum, inquit, Dominicæ paſſionis in ſalutem generis humani, ante tempora æterna diſpoſitum. Et iterùm: In ſalvandis hominibus per crucem Chriſti, communis voluntas erat Patris, & Filii, communeque conſilium, nec ullâ poterat ratione turbari, quod ante æterna ſæcula & miſericorditer erat diſpoſitum, & incommutabiliter erat præfinitum. Et alibi: Cùm ergo omnia, inquit, quæ in Chriſtum Judaica admiſit impietas, tan-

Et ſerm. 7.

Serm. 16. de paſſ.

tò antè prædicta ſint, ut non tam de futuris, quàm de præſentibus, propheticus ſit ſermo contextus, quid aliud nobis quàm ſempiternarum diſpoſitionum Dei immutabilis ordo reſeratur, apud quem & diſcernenda jam judicata, & futura jam facta ſunt? Cùm enim & qualitates actionum noſtrarum, & effectus omnium voluntatum ſcientia divina præveniat, quantò magis Deo nota ſunt opera ſua? Et rectè placuit quaſi facta recoli, quæ non poterant omninò non fieri. Quam ſempiternam & incommutabilem diſpoſitionem Dei probans, adducit locum Actorum 4. à nobis in Cenſura citatum; Convenerunt facere quæ manus tua & conſilium tuum fieri decreverunt. Ubi mox quaſi Calvini ſoluturus argumentum, Nunquid, inquit, iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio? Et illud facinus, quod omni majus eſt crimine, manus divinæ præparationis armavit?

Non hoc planè de ſumma juſtitia ſentiendum eſt, quia multùm diverſum multùmque contrarium eſt, id quod in malignitate Judæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum, non indè proceſſit voluntas interficiendi, undè moriendi, nec de uno exſtitit Spiri-

tu

tu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim has impias furentium manus immiſit in ſe dominus, ſed admiſit, nec præſciendo quod faciendum eſſet, coëgit ut fieret, cùm tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet, ut fieret &c. Hactenùs ille. Ad eandem divinæ voluntatis diſpoſitionem pertinet, quod habet Auguſtinus ſuper Joannem ſcribens. Quis *Tract.* 119.
poteſt, inquit, quæ facit ita diſponere, quomodò diſponit homo ille, quæ paſſus eſt? ſed homo mediator Dei & hominum, homo de quo prædictum legitur: & homo eſt, & quis cognoſcet eum? Quomodò homines per quos hæc fiebant, videbant hominem, ſed non agnoſcebant Deum; homo namque apparebat, & idem ipſe diſponebat hæc omnia, qui latebat. Et hæc quidem de Chriſti morte 86.
& paſſione dicta ſufficiant; quanquam ut & hoc addamus, mirum eſt nec placet ſicut ſonat, quod ait Apologia, prævidiſſe Deum Judæorum malitiam per conditionatam præſcientiam. Nam quod ſimpliciter futurum erat, Deo abſolutè volente permittere, cur non abſolutè futurum prævidit, ut abſolutè etiam malitiâ illâ ti vellet ad peragendum Dominicæ paſſionis Sacramentum, quod in hominum ſalutem abſolutè diſpoſuerat? Jam ut ad 87.

Martyres veniamus, ſimiliter & de ipſis ſentiendum putamus.

Ut præſuppoſito hominum lapſu, Deus abſolutâ voluntate electos aliquos eſſe Martyres, & Chriſto in paſſione eſſe conformes voluerit, & propter ipſum ſpecialiter cruciatus & tormenta patienter fortiterque tolerarent; ſed ad hanc implendam circa illos ſuæ gratiæ dignationem, malitiâ quorundam hominum uti voluit, quam prævidebat, permittendo eis in illos ſævire, quos jam ad paſſionem pro Chriſto ſubeundam priùs elegerat. Quare & hîc tres illæ jungendæ ſunt cauſæ, quas in Chriſti martyrio D. Th. ſuprà loco citato conjunxit: ut videlicet electorum ſuorum Deus martyria faciat;
88. non eos tantùm adverſus perſequentium non protegendo furorem, aut fortitudinem ad perferendum inſpirando, verùm etiam ipſam præordinando paſſionem; dum illos ſic voluit honorare, ut pro Chriſti nomine paterentur. Quocircà etſi in eo tantùm Dei permiſſio eſt, quod perſecutores malitioſè crudeliterque affligant, non tamen ſola permiſſio eſt, ut Martyres patiantur atque affligantur; ſed
89. & voluntas Dei & conſtitutio. Et ſequitur quidem; ſi vult Deus paſſionem, vult & actionem ſine qua paſſio eſſe non poteſt;

poteſt: ſed non ſequitur; ergo hanc vult actionem ex odio & crudelitate profectam: ſicut ſuprà de Chriſto eſt dictum. Quemadmodum etiam non ſequitur, Chriſtus occidi voluit, & iniquè occiſus eſt, voluit ergo iniquè occidi: quia à ſubſtantia tranſit ad qualitatem, ut in illo vulgato exemplo: Comedere voluit quod emit, crudum emit, crudum ergo comedere voluit. Quam accidentis fallaciam vocant.

Ut autem hunc locum concludamus, tenendum in eadem hac cum Profeſſoribus ſententia Fauſtum etiam illum Rhegienſem fuiſſe Epiſcopum, cujus eadem cum Maſſilienſibus ſentientis mentionem ſuprà jam fecimus. Is enim l. 2. de gratia & libero arbitrio de Bethleemiticis infantibus loquens, ita ſcribit. Hanc itaque parvulorum, inquit, interfectionem non diſpoſitio Dei; ſed impietas ordinavit inimici. Et rursùs: non eos, inquit, prædeſtinatio morti addixit, ſed cauſæ occaſio conſecravit. Quem eos mirùm eſt ſequi potiùs, quàm Divum Thomam maluiſſe. *l. 2. c. 3.*

Ad Apologiam Aſſertionis 21.

CAPUT VI.

PErſeverantiæ, uti & prædeſtinatio-
nis certitudo non ex conditionata,
quam ſuprà refutavimus; ſed ex abſolu-
ta Dei petenda præſcientia eſt, quâ, quos
elegit, gratiæ ſuæ beneficio perſeveran-
tes abſolutè ſe facturum eſſe prænovit;
quæ tamen vel certitudo, vel gratiæ effi-
cacia neque libertatem nobis, neque ex-
cidendi poſſibilitatem adimit. Undè non
ſatis candidè Apologia ita noſtram propo-
nit ſententiam, quaſi certitudinem ex mera
gratiæ efficacia ſtatuamus, hoc eſt, libe-
ram arbitrii cooperātionem cum Calvino
90. negemus, id quod minimè verum eſt;
imò dicimus, ita Deum perſeverantiam
in nobis operari, ut defectibilitatem vo-
luntatis, cadendiq́ue per ſingula pericu-
culum non auferat. Undè reſpectu proxi-
mæ cauſæ, prædeſtinatus abſolutè lo-
quendo, excidere, non perſeverare, &
non ſalvari, ſed & damnari poteſt; quan-
quam reſpectu divinæ prædeſtinationis,
quoniam indefectibilis eſt ea cauſa, fieri
non poteſt ut non perſeveret; ſed quæ
non ſimplex & abſoluta, ſed ex ſuppo-
ſitione

ſitione neceſſitas eſt. Optimè autem cum hac explicatione conſiſtit ille in Apoc. locus: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. In primis, quia generalem habet ea ſententia admonitionem ad omnes in genere Juſtos pertinentem, quâ moneantur, ita ſemel adeptam cuſtodire juſtitiam, ut ne ab ea per ſocordiam excidant, alioqui enim futurum ut coronam quoque, quę non niſi perſeverantibus detur, perdant ipſi, atque alteri cedat. Id quod in temporaliter juſtis certum ac evidens eſt frequenter impleri. Nam & hi veram nec ſimulatam aliquam habent juſtitiam; & quemadmodùm perſeverantiam, ita & coronam ſperare poſſunt ac debent. Ad Prædeſtinatos verò quod attinet, rectè & illi hujus periculi admonentur, quia licet eorum perſeverantia in prædeſtinatione certiſſima ſit, tamen quia per liberam ac defectibilem humanę voluntatis cauſſam propoſitum hoc ſuum impleturus eſt Deus, rectè vigilandi ſolicitudinem ac timoris humilitatem imperat, quippè per quam cuſtodire eos in juſtitia, & operari in eis perſeverantiam ſoleat. Quomodò hunc Apoc. locum valdè benè Auguſtinus, & poſt eum Bonavent. tractavit: quam explicandi rationem nec D. Thomas cæteri-

Apoc. 3.

De corr. & grat. c. 13. In diſt. 40. art. 1. q. 2. 1. p. q. 23. art. 6. & 4. 6. de verit. art. 2.

que pręteriêre Scholaſtici. Undè intelligi poteſt, excidendi poſſibilitatem neque perſeverantię certitudini, neque efficaciæ electionis ad gloriam, etiam ante conditionatam prævisionem, quidquam adverſari; nec ſatis conſideratè repręhenſum B. Auguſtinum. Sed viſum hîc profeſſoribus fuit Catharinum ſequi potiùs, qui libro 1. de prædeſtinatione, rejecto Aug. non diſſimilia commentatur.

Ad Apologiam Aſſertionis 26.

CAPUT VII.

SUperſunt in hoc prędeſtinationis argumento Scripturæ aliquot, de quarum germano intellectu controvertitur, in quibus priorem contra B. Aug. ſententiam Apologia tueri pergit. Non pigebit ergo eas paulò tractare diligentiùs. Et primùm quidem illud Joan.6. Hęc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud &c. Ne hinc prædeſtinationis certitudo de abſoluta Dei Patris voluntate deſcendens, ſtatui poſſet; ſic intelligendum Profeſſores docebant; ut non ad ſolos electos; ſed ad omnes omninò pertineret homines: ut ſenſus ſit, hanc eſſe

Patris

Patris voluntatem, ut omnes ſufficientia habeant ex Chriſti merito auxilia, & non ſtet per eum, quò minùs ſalventur. 91.

Sed quis non videat, quàm hęc coacta & violenta interpretatio ſit, ad ipſorum videlicet inflexa contortaque doctrinam. Undè in Apologia paulò circumſpectiùs Patris donationem ad ſolos in genere fideles, inter eos tamen & reprobos, pertinere interpretantur. Sicubi verò ad ſolos etiam prædeſtinatos referri videatur, tum ſalvos quidem illos abſolutè futuros ſignificari, ſed non ante omnem pręſcientiam, ſaltem conditionatam. Sed nos neque hęc de omnibus generatim hominibus, nec de reprobis, etiam ad tempus fidelibus, ſed de ſolis pędeſtinatis accipienda eſſe, quos B. Joannes tribus Euangelii ſui capitibus 6. 17 & 18. donatos Chriſto à Patre ſcribit, aſſerimus. Nam illud, de conditionata pręſcientia, commentum ſuprà abundè confutatum eſt. Ergo non eſſe ibi de omnibus hominibus Joanni ſermonem, nec eos omnes intelligendos Chriſto donatos, indè primùm cognoſci poteſt, quod Chriſtus donatos ſibi contra Mundum diſtinguat; quod diſcrimen prima illa intelligentia confundit, omnes omninò homines totumque Mundum nullo faciens diſcrimine donatum. Deindè

dè venire ad ſe ait omnes quotquot ipſi à Patre donentur: Omne, inquit, quod dat mihi Pater ad me veniet. At qui infideles permanent, ad Chriſtum non veniunt;non ergo ſunt filio donati. Prætereà omnes hujuſmodi qui trahuntur à Patre,ab eo docentur,eumque audiunt, ut perſeveranter ad Chriſtum veniant. Atqui infideles qui non veniunt,nec credunt, non trahuntur, neque docentur; ergo nec donantur. Sed nec inter donatos cenſendi ſunt reprobi temporaliter fideles. Donatorum enim nemo perire ſinitur; ſed dat eis Chriſtus vitam æternam. Ubi ſi dicas, non perire, quantùm in ipſo eſt, jam id omnibus etiam reprobis erit commune. Deindè Chriſtus ſervaſſe ſe omnes ait ſibi donatos, nec ex eis quempiam periiſſe. At periêre Capharnaitæ & Judas, ad tempus fideles, qui proindè donati non fuerunt, juxta illud, Nemo ex iis periit, niſi filius perditionis, id eſt, ſed ſolus filius perditionis. Rogat 3. Chriſtus pro ſibi devotis, ut eos Pater ſervet in nomine ſuo. In qua ſanè petitione exauditus pro ſua reverentia fuit. At non ſervantur reprobi ad tempus juſti, non ſunt ergo donati. Quartò rogat Patrem Chriſtus, ut quos ei dederit, cum ipſo ſint & gloriam ejus videant, non id autem continget reprobis etiam

tem-

temporaliter diligentibus; non ergo donati ſunt. Poſtremò, donatos Chriſtus contra Mundum diſtinguit, reprobi autem omnes ad Mundum pertinent, etiam temporaliter fideles (alioqui etiam pro eis Chriſtus rogaſſet, nec utique fruſtrà) non ergo de numero ſunt donatorum. Non ergo reprobi ulli, ſed ſoli prædeſtinati intelligendi ſunt Chriſto eſſe donati: nec alibi in ſcriptura uſquam aliter hanc vocem uſurpatam temerè invenies. Nam quod Pſ. 2. Gentes ac termini terræ Chriſto in hæreditatem & poſſeſſionem, donantur, propriè in electis, & electorum per totum orbem futurorum ratione, quibus reprobi temporaliter ſolùm adhærent, & quaſi ſupra numerum tantùm adjunguntur, intelligi debet. Matthæi autem ultimo capite, data Chriſto ſignificatur etiam in reprobos judicii & damnationis poteſtas, qui tamen dici non poſſunt Chriſto donati. Sic & apud Joannem cap. 17. Dedit Pater Filio poteſtatem omnis carnis, id eſt, in omnem carnem ſeu hominem; ſed ut electos miſericorditer liberet, reprobos verò pro meritis ſuis judicet atque comdemnet. Denique omnia quæ Patris, eadem & Filii ſunt, ſed peculiari modo electi; non ſolo videlicet creationis titulo, ſed gratuitæ etiam ele-

Reſp. ad locum Pſ. 2. & Matth. ult.

ctiohis

ctionis ac prædeſtinationis beneficio. Sed operæ pretium jam fuerit, quænam paternę donationis hujus apud Auguſtinum interpretatio ſit, breviter demonſtrare. Ejus itaque lib. de corrept. & gratia iſta ſunt
Cap. 9. verba. Hi ergo, inquit, Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt ad vitam æternam, ipſi ſunt illi prædeſtinati & ſecundum propoſitum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum, mutatus, finit hanc vitam quoniam ſic eſt ordinatus, & ideò Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et lib. 5. contra Julian. Abſit enim, inquit, ut prædeſtinatus ad vitam ſine Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hos Dominus ait: hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Sic de prædeſt. Sanctorum: Omnes, inquit, do-
Cap. 16. cibiles Dei veniunt ad Filium, quoniam audierunt, & didicerunt à Patre per Filium, qui evidentiſſimè dicit, Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Iſtorum autem nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam. Quiſquis indè eſt, omninò non perit, nec erit indè qui peribit. Similiter ſuper Joannem tract. 106. De Mundo, inquit, ſibi à Patre dicit Filius datos homines, quibus alio loco dicit:

Ego

Ego vos elegi de Mundo. Quos Deus Filius de Mundo elegit cum Patre, idem ipſe homo Filius de Mundo accepit à Patre: non enim Pater illos Filio dediſſet, niſi elegiſſet. Item & alibi ad illud, Pater quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum; Qui ſunt iſti, inquit, quos ait à Patre datos ſibi? Nonne illi de quibus alio loco dicit. Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum? Ipſi ſunt ergo quos à Patre accepit, quos & ipſe elegit de Mundo. Atque elegit, ut jam non ſint de Mundo. Et mox: dediſti ei poteſtatem omnis carnis, id eſt, omnis hominis, ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Ubi oſtendit poteſtatem ſe quidem omnis hominis accepiſſe, ut liberet quos voluerit, damnet quos voluerit, qui vivos & mortuos judicabit; ſed eos ſibi eſſe datos, quibus omnibus dat vitam æternam. Sic enim ait: ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Proindè, inquit, non ei dati ſunt, quibus vitam non dabit æternam; quamvis & ipſorum poteſtas data ſit, cui poteſtas data eſt omnis carnis, id eſt, omnis hominis. Ita Mundus reconciliatus, ex inimico liberabitur Mundo; cùm in illo exerit poteſtatem ſuam ut eum in mortem mittat æternam: hunc autem facit ſuum, cui uitam dat æternam. Sic & Auguſt.

Tract. 111.

l. 1. de vocat. gent. cap. 24.

Auguſt. ſecutus B. Proſper in eodem, inquit Euangelio, de his quos Pater dat filio, qui & omnes veniunt ad filium, & quorum nullus perit. Hæc ipſius Domini ore dicuntur: Omne quod dat mihi pater, venit ad me, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras; quia deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me, Patris; ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo quidquam, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Similiter & Beda in 12. c. Joannis; eos, inquit, ſibi dicit eſſe datos, quibus omnibus det vitam æternam. Sic enim ait, ut omne quod dedit ei, det eis vitam æternam: proindè, inquit, non ei dati ſunt, quibus non dabit vitam æternam. Sunt enim Auguſt. verba ex tract. 111. paulò antè recitata. Ergo ſecundum B. Auguſt. Latinoſque Scriptores, neque omnes homines, neque ulli reprobi, vel ad tempus fideles & juſti, Chriſto donati ſunt, ſed ſoli prædeſtinati, quos proindè ad vitam æternam ut certiſſimè perducat, abſoluta voluntas eſt Patris; ſed non abſque præviis tamen bonorum operum meritis. Ut enim voluntas eſt ejus ſalvari eos per filium, ita & juſtificari, & in ſancta vita perſeverare. Hanc germanam Euangelicæ ſententiæ intelligentiam, ſi B. Chryſoſt. adverſus Manichæos intentus in ſuis ad Populum

Reſp. ad græcor. interpretat.

Hom. 79. in Ioan. ad illud: poteſtat. dediſti ei omnis carnis, &

pulum homiliis minùs ſatis expreſſit, ad diligentiorem ejus tractationem nondùm per Pelagianos exſtimulatus, diſſimulandum potiùs, quàm exagitandum, aut imitandum putamus: alioqui enim ſecundum ejus Commentarium neceſſe erit apud Joannem, Chriſto datos, cum Mundo confundere, nec peculiare quidquam eos habere præ reprobis; id quod Chryſoſt. ex ſua interpretatione conſequi etiam ipſe perſpexiſſe videtur. Undè illud, non pro Mundo rogo, diſſimulanter prçteriit, ac ne verbulo quidem ullo attigit. Nam quod auſus eſt ibi Euthymius annotare in hçc verba: Nam qui in me non credunt, nolunt ut pro eis rogem, quis omnium eſt qui probare poſſit? Quare miramur Profeſſ. Societ. in prædictis ſcripturis interpretandis, illorum potiùs quàm Auguſtini expoſitionem ſequi maluiſſe, ante quem (etiam Ruardo ſup. teſte) prædeſtinationis Dei argumentum, ac eò pertinentes ſcripturç non ſatis diligenter excuſſæ tractatçque fuerunt; niſi quia non eis placebat manifeſtatæ nobis per Auguſtinum veritatis, ſed Græcorum quorundam potiùs non ſatis exerta explicataque doctrina ipſorum placitis accommodatior.

hom. 8. ad illud, nemo ex iis periit. Theoph. eundem ſecutus in eadem 17. c. loca.

Ad illud, poteſtat. dediſti omnis carnis, & in illud ut omne quod dediſti ei det eis vitam æternam.

Ad Apologiam Aſſertionis 27.

CAPUT VIII.

QUin locus ille ad Rom 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c. ad ſolos ſit electos referendus, negari ſanè, niſi contentiosè, non poteſt: quandoquidem ſequentia omnia, quæ dicti hujus probationem continent, ad ſolos electos clariſſimè pertinent. Nam quos
1. *Ratio.* 92. præſcivit & prędeſtinavit &c. quibus verbis omnibus uſque ad finem capitis, docet concluditque Apoſtolus, quia divinæ prædeſtinationis certiſſima potentiſſimaque efficacia ſit, nihil accidere poſſe electis quod eorum ſalutem impediat; uſquè adeò, ut adverſa etiam omnia, quæ alioqui obſtare ſaluti eorum poſſe videantur, proſint eis potiùs,& ad procurandam ſalutem mirabiliter convertantur; tantam vim eſſe ac potentiam divinæ prædeſtinationis. Cùm ergo à prædeſtinationis efficacia ac certitudine cooperationem iſtam Apoſtolus repetat, manifeſtum eſt ad ſolos ab eo electos referri, nec quid fieri poſſit, ſi perſeverare homines in charitate vellent, ſed quid virtute divinâ certiſſimè fiat, Apoſtolum hoc loco diſſerere.

Jam & illud quod proximè additur iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, clarè ſatis Apoſtoli aperit mentem. Quibus verbis quid hoc loco aliud quàm certum divinæ vocationis ſignificatur decretum, quo ſic ad juſtitiam vitæque ſanctitatem vocat, ut in ea perſeverantiſſimos faciat, atque ad ſalutem perducat? Atque hanc eſſe maniſeſtiſſimam totius hujus loci B. Auguſtini interpretationem, ex pluribus locis intelligi poteſt, quorum præcipuos hìc ſubjicere viſum. Ac primùm quidem l. de corrept. & gratia hæc ejus ſunt verba: Propter hoc, inquit, Apoſtolus cùm dixiſſet, Scimus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (hæc enim ejus perpetua eſt lectio) ſciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono non in finem permanere, mox addidit: his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent uſque in finem,& qui ad tempus indè deviant, revertuntur, ut uſque in finem perducant, quod in bono eſſe cœperunt. Oſtendens autem, inquit, quid ſit ſecundum propoſitum vocare, mox addidit ea quæ jam ſup. poſui: Quoniam quos antè præſcivit &c. Et paulò pòſt concludens locum: Talibus, inquit Deus, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c. his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt,

2. Ratio.

1. teſtim. Auguſt.

2. teſtimon. l. 5. c. 3.

 con-

continnò ſubdidit, quoniam quos antè præſcivit, & prædeſtinavit conformes imaginis Filii ejus, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, illos & vocavit, quos autem vocavit, illos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. Hi ſunt; inquit, ſecundum propoſitum vocati, ipſi ergo electi, & hoc ante Mundi conſtitutionem. Et epiſt. 54.

3. teſtim. Ubi cùm dixiſſet, In eo quod ait Apoſtolus, Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei, illos ſignificari qui pertinent ad numerum prædeſtinatorum. De iis, inquit, alio loco dicit, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, Qui verò electi, ipſi ſunt ſecundum propoſitum vocati, in quibus Dei procul dubiò præſcientia falli non poteſt. Et mox: quos prædeſtinavit, illos & vocavit. Hæc vocatio eſt ſecundum propoſitum, hęc eſt enim ſine pœnitentia. Et rursùs: Non ſunt in iſta

cap. 18. in fine. vocatione, qui in fide, quę per dilectionem operatur, etiamſi aliquantulùm ambulant, non perſeverant uſque in finem. Item libro de prędeſtinatione Sanctorum: Ex hoc, in-

4. teſtimon. quit, propoſito eſt illa electorum propria

5. teſtimon. cap. 18. in fine. vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti,

ſancti, & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Poſtremò lib. 1, retractat. Vocatio, inquit, ſecundum propoſitum Dei non omnium eſt qui vocantur, ſed tantùm electorum. Hactenùs Auguſt. quem ſequuntur ejus Diſcipuli Fulgentius de gratia Chriſti c. 26. Bern. ſerm. 2. in Pſalm. Qui habitat. fol. 71. & de diligendo Deo cap. 8. fol. 278. Prætereà & D. Thom. tum in Commentariis ſup. hunc Apoſtoli locum, tum p. 1. q. 23. a. 7. Ex Neotericis, ut cæteros prętermittamus, Dominicus Bannes, primarius Salmanticæ Profeſſor, communem dicit eſſe ſententiam, ut prædeſtinationis intelligatur propoſitum, ſcribens in p. 1. q. 13. a. 2. fol. 357. Ex quibus intelligi poteſt non eſſe hunc locum alterius illius 2. Timoth. 1. (uti faciendum Apologia indicat) 94.

Rejectio interpretationis ex loco 2. Tim. 1.

collatione interpretandum; cùm ibi ex circumſtantiis manifeſtum ſit, urgere Apoſtolum non divini propoſiti atque decreti, ut hîc ad Rom. facit, certam potentemque efficaciam; ſed gratuitam vocationem & electionem. Undè & opponit operibus noſtris, & gratię adjungit vocabulum. Qui nos liberavit, inquit, & vocavit vocatione ſanctâ, non ſecundum opera noſtra; ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam. Ubi clarum eſt, ſpectare Apoſtolum in divino propoſito quod indebitum ſit atque gratuitum.

Ad Rom. verò quanquam non id excludat, non urget tamen, ſed divini propoſiti certitudinem atque inſuperabilem potentiam, quæ in electorum vocatione potiſſimùm ſe exerat. Nam gratuita vocatio omnibus etiam temporaliter diligentibus communis eſt; at non efficax illa, quæ perſeverantes facit atque ad ſalutem certiſſimè perducit.

Cap. 3. Nam quod D. Auguſt. l. 2. ad Bonifacium & l. contra Jul. locum illum ad Rom. alterius ad Timoth. ſimiliumque collatione illuſtrat, ſupradictis minimè adverſatur. Nam præterquam quod ad ſolos prędeſtinatos referat, ideò loca illa adducit, ut ne de humano; ſed divino gratuitoque Dei propoſito Paulum ubique locutum eſſe doceat. Quare quod Veteres nonnulli de humano propoſito Apoſtolum ſint interpretati, prorſùs haud dubiè præter ejus mentem eſt, ac intentionem. Quod verò iidem illam de cooperatione Paulinam ſententiam Chriſtianis etiam generatim omnibus interdùm accommodant, ex hac pietatis faciunt regulâ, quâ ſperare de omnibus in communi debeamus, quod in pietate ſint perſeveraturi, atque ita ad prædeſtinatorum pertineant numerum. Quomodò Apoſtolus magnifica illa, Quis ergo nos ſeparabit? Item, Certus ſum enim, quia neque mors &c. ex prædeſtinatorum perſona loquitur, quibus

Reſponſ. ad aliorum quorundam veterum interpret.

95\.

96\.

quibus ſe piâ fiduciâ, Romanoſque ad quos ſcribebat, annumerat. Quomodò & juſtum ſibi eſſe ait, ſentire de Philippenſibus, quod qui cœpit in eis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Quare 97.
non ſatis fidelis nec proba eſt illa Apologiæ additio, Si eſtis prædeſtinati: quam velut gloſſam reprehendit & Auguſt. lib. de dono perſeverantiæ cap. 22. Quod & Apologia *Aſſert.* 12.
ipſa, repetitis alibi Auguſtini verbis, ultrò confitetur atque confirmat. Cæterùm ex his quę dicta ſunt intelligi & facilè poteſt, quàm parùm Auguſtiniana ſit illa vocationis ſecundum propoſitum interpretatio; *Aſſer.* 4.
quam cùm hoc loco ſub finem tum alibi Aug. Apologia tribuit; quâ ſecundum propoſitum vocari, idem ſit, quod eo vocari, quo ſciebat Deus aliquem ſecuturum. Cùm enim hanc vocationem Auguſtinus tot ſu- *Art.* 7.
prà locis, electis propriam eſſe velit, Profeſ- *fol.* 305.
ſores autem, Ruardum ſecuti, omnibus vel temporaliter juſtis, minimèque perſeveraturis faciant eſſe communem, evidentiſſimum eſt, hanc expoſitionem ex Auguſtini mente non eſſe, ſed ad præſentem cauſam ſubtiliter excogitatam, & verbis ejus parùm ex veritate affictam.

Ad Apologiam aſſertionis 28.

CAPUT VIIII.

Dilectionem in Apoſtolico dicto ad Rom. 9. Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, non ad primum tantùm, ſed ad poſtremum quoque prędeſtinationis effectum; id eſt, vitam æternam, ab Auguſtino referri ſup. cum hunc locum tractavimus, ſatis ſuperque commonſtravimus. Ubi enim in prævifis operibus ex quibus dilectum fuiſſe Jacob Apoſtolus negat, non legis aut naturæ tantùm, ſed & gratiæ opera; cujuſmodi videlicet fuêre quæ Jacob fecit, intellexiſſe declaravimus; id quod nec reliquis Patribus adverſari ſuprà quoque
98. oſtendimus. Nam non eſſe hanc ſolam Auguſt. interpretationem, ut is locus ad poſtremum quoque, quemadmodùm reprobationis, ſic & prædeſtinationis referatur effectum, ſed Sanctorum communem omnium, etiam D. Thom. auctor eſt & teſtis. Quod autem, Profeſſores, Catharinum ſecuti, dilectionem & odium non ad vitam & mortem æternam, ſed ad majora & minora gratiæ dona pertinere velint, ut ob eorum inæqualitatem, Eſau & ſanctificatus

q. 6. de veritate art. 2. lib. 2. de prædeſt.

ficatus in eo reproborum populus, videri queat odio habitus, nova ſunt, & in primis peregrina. Deindè dura etiam & coacta valdè interpretatio eſt, quando ſimili ſenſu dicere liceat, Beatam Virginem dilectam, 99.
Petrum odio habitum; & Petrum dilectum, Auguſtinum odio habitum; quia videl. inæqualiter dilecti. Ubi enim Scriptura ſic loquitur, ut beneficii etiam minoris donatio odium appelletur? Nam illa Euangelii verba, quæ quidam proferunt: Si quis venit ad me, & non odit Patrem &c. Item. Nemo poteſt duobus Dominis *Luc.* 14.
ſervire, aut enim unum odio habebit & *Matth.* 6.
alterum diliget; nihil ſanè huic interpretationi patrocinatur. Neque enim ibi de amoris inæqualitate, ſed de veri nominis agitur odio, quo & in nobis, & in parentibus carnales affectus, quibus à Chriſto ſequendo revocemur, & quidquid verò Domino adverſum eſt, jubemur odiſſe; quo modo & animam noſtram odio habere debemus. Nam alioquin & primi ante lapſum Parentes, imo & Angeli Sanctique in Cælo omnes & ſeipſos & alter alterum longè infra Deum diligunt, qui tamen non ſe rectè dicantur odiſſe; quandoquidem nihil in eis ſit vitioſi, quod eos à dilectione Deo debita remoretur.

Nec favet eis quod in Geneſi dicitur *Cap.* 29.

Liam fuiſſe à Jacob Marito deſpectam, ferè, ut nonnulli vertunt, odio habitam, tanquam minor ibi tantùm quædam ſignificata dilectio ſit. Nam lippitudo illa & deformitas oculorum in Lia deſpectu & odio digna erat; quemadmodùm diſplicet in nobis Deo vitę hujus imperfectio, quæ hâc lippitudine figurativè ſignificata fuit. Quin verò B. Auguſt. eodem, illo, quem proferimus ad Simplic. loco, hanc inæqualis amoris interpretationem diſertis verbis rejiciens. An enim, inquit, diceret Deus, Solem dilexi, Lunam odio habui, aut, Lunam dilexi, Stellas autem odio habui, ſicut, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui? Apertè videlicet ſignificans non eſſe per comparationem intelligendum hujus loci odium. Quare non ſecundum Auguſtini mentem, ſed contra eum potiùs, adeòque totius etiam vetuſtatis ſententiam, ita hic locus explicatur, uno excepto Pelagio, cujus apud Hieron. in loci hujus commentariis ſcholium Catharinus videtur ſecutus; quemadmodùm alii. quidam Fauſtum Rhegienſem, qui Apoſtolum, ut ſup. admonuimus, non de veræ pietatis operibus; ſed de legis tantùm atque naturæ accipiendum eſſe putavit.

Lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 6.

Ad Apologiæ aſſertionis 17. Partem poſteriorem

CAPUT X.

SUbjungere jam hîc & expendere viſum eſt, quæ ſcribit Apologia in poſteriorem cenſuræ noſtræ partem, ad aſſertionem 17. ubi occaſione mortis Infantium
diſputatur: Sintne ante prævisionem deter- 100.
minationis cauſarum ſecundarum omnia in particulari à Deo conſtituta atque prævolita; omnia videlicet, quæ peccata non ſunt. Et non eſſe quidem ſic conſtituta, veterum in primis authoritate probare Profeſſores nituntur, Origenis, Hieronymi, Chryſoſtomi, Damaſceni, Anſelmi, quibus & in Antitheſibus ſuis Euſebium & Auguſtinum adjiciunt; qui omnes uno ore doceant, non ideò futurum aliquid, quia Deus id præſciat, ſed ideò præſcire potiùs, quia futurum ſit. Undè illos ſentire colligunt, non eſſe hanc Dei præordinationem conſtituendam. Sed leviculum hoc omninò argumentum eſt, nulliuſque momenti, cùm non de quibuſdam futuris id Patres
illi dixerint, ſed de omnibus: Nam gene- 101.
raliter verum eſt, nihil ideò futurum, quia id

Proſpero afferuntur, ſatis etiam clarum eſt, ad rem nihil omninò pertinere. Docet enim tantùm eo loco Auguſtinus peccati præſcientiam peccandi non imponere neceſſitatem. Proſper autem permiſſionem ad ea refert, quæ in pœnam quorundam malè fiunt, ſicuti verba ſubjecta ſignificant. Et clarius ex Auguſtino intelligi poteſt, undè hæc repetita ſententia eſt. Denique quod Auguſtinus ait l. 7. de Civit. ſic Deum cuncta adminiſtrare, ut ea proprios agere motus ſinat, non permiſſionem ſignificat; ſed directionem & gubernationem; ſalvâ tamen rei cujuſque naturali proprietate & conditione; ut quanquam providentiâ ſuâ de rerum diſponat eventis, tamen propter inviolatam cauſſarum ſecundarum determinationem, eorum contingentia minimè deſtruatur. *Sen. 58. lib. 3.* *De trin. c. 4. & 7.* *Cap. 30.* 103.

Nec loquitur Auguſt. de minimis quibuſdam ac ludicris, ſed de omnibus generatim rebus, quas Deus adminiſtrat. Quid autem de hoc argumento Auguſt. ſenſerit, declarat ipſe in Pſal. ſcribens ad illum verſiculum, Ignis, grando, nix, glacies &c. Non videantur tibi, inquit, caſibus moveri, quæ verbo Dei in omni motu ſuo deſerviunt. Quò vult Deus, illuc lucet ignis, illuc fertur nubes, ſive pluviam, ſive nivem, ſive grandinem portet. Et infrà. Quidquid *In Pſalm. 148.*

quid hîc accidit, contra voluntatem noſtram, noveris non accidere niſi de voluntate Dei, de providentia ipſius, de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius &c. Et infrà. Hæc, inquit, omnia, quæ vanis videntur in rerum natura temerè fieri, non faciunt niſi verbum ejus, quia non ſunt niſi juſſu ejus. Idem verò & Monſtra, quæ ſubindè naſcuntur, ad Univerſitatis pulchritudinem Dei providentiâ creari ait. Præordinata ergo eſſe cenſet ante cau-
104. ſarum ſecundarum prævifionem. Imò iſtas in hoc procuratas, ut illa exiſtant, hęc propter totius ornatum tanquam finem primò intentum. Auguſtini verba hæc ſunt: Qualis autem ratio, inquit, redditur de monſtroſis apud nos hominum partubus, talis de monſtroſis quibuſdam Gentibus reddi poteſt. Deus enim creator eſt omnium, qui ubi & quando creari oporteat, vel oportuerit, ipſe novit, ſciens Univerſitatis pulchritudinem quarum partium vel ſimilitudine, vel diverſitate contexat. Sed qui totum inſpicere non poteſt, tanquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat, & quò referatur ignorat. Et ſanè quod de minimis etiam rebus, ante prævifionem determinationis cauſarum ſecun-
105. darum, Deus diſponat, etiam rationi conſentaneum eſt: quia in eo genere rerum unum

unum eſt propter aliud, tanquam ſuum finem, ad quem ordinetur, v. g. tale ſemen propter talem Muſcam. Cùm igitur volitio finis prior ſit diſpoſitione mediorum, ſequitur voluiſſe Deum res minimas ante prævifionem cauſarum ſecundarum, qui propterea de cauſſis rerum minimarum diſpoſuit, quia voluit etiam illas producere. Secundò in iis omnibus quæ Dei gubernationem contingunt, Deus cauſam ad effe- 106.
ctum determinat, & ideò prævidet determinationem illam, quia vult eam facere. Cùm igitur eo ipſo quo vult determinationem cauſæ 2. ad effectum, velit effectum, & prior ſit voluntas determinandi prævifione determinationis, ſequitur Deum velle tales effectus ante prævifionem determinationis. In iis verò quę facit homo, non ex gubernatione Dei, ſed ubi gubernationi ſuæ ipſe relinquitur, ibi ſeipſum determinat ad effectum, ſeu potiùs defectum. Quod autem id non ſit indignum Deo, indè intelligi poteſt; quod & illæ res minimæ in ſuis & formis & numeris ad univerſi pulchritudinem pertineant, quantumvis ſecundum ipſas abjectæ videantur; quemadmodùm & monſtra ipſa, licet in ſeipſis deformia, tamen (uti jam diximus) ſcribit Aug. quod & ea Deus ad Univerſi pulchritudinem facere voluerit, inſinuans quod de

illis

illis faciendis diſpoſuerit ante præviſionem cauſarum ſecundarum, quas nimirùm ad hoc quaſi poſteriùs ordinarit, ut monſtra exiſterent, quibus exornari volebat hoc univerſum. Sicuti igitur non eſt indigna Pictore minimi etiam puncti cura, quia ad Picturæ pulchritudinem pertineat; ſic nec Deo minimarum etiam rerum indigna eſt cura. Porrò ad D. Thomam. 23. q. art. 7. quod attinet, hæc ejus integra & non mutilata (ut in Apologiâ recitantur) ſunt verba: Prçordinavit Deus in qua menſura deberet eſſe totum Univerſum, & quis numerus eſſet conveniens eſſentialibus partibus univerſi, quæ ſcilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem, quot ſcilicet ſphæræ, quot ſtellæ, quot elementa, quot ſpecies rerum. Individua verò corruptibilia non ordinantur ad bonum Univerſi quaſi principaliter, ſed quaſi ſecundariò, in quantum in eis ſalvatur bonum ſpeciei. Undè licet Deus ſciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus, vel Boum, vel Culicum, vel aliquorum hujuſmodi eſt per ſe ordinatus à Deo, ſed tot hujuſmodi divina providentia produxit, quot ſufficiunt ad ſpeciei conſervationem. Ubi manifeſtum eſt non dicere B. Thom. numerum hujuſmodi abſolutè præordinatum à Deo non eſſe, quem-

quemadmodùm parùm bonâ fide Apologia commemorat, ſed per ſe & principaliter: quod verum eſt, quia propter aliud; quod in Cenſura noſtra breviter indicantes, locum admonebamus attentè legendum. Quod verò in queſt. de veritate pro hac facere ſententia poſſit nihil invenimus. Niſi fortè quod pro eadem à Catharino productum antè fuit. Ubi Thomam ſic loquentem inducit. Ordo divinæ providentiæ dupliciter certus invenitur, uno modo in particulari, quomodò res quæ à divina providentia in finem aliquem ordinantur, abſque defectu ad finem illum particularem perveniunt, ſicut patet in omnibus quæ neceſſariò aguntur in natura: alio modo in univerſali, non in particulari, ſicut videmus in generalibus & corruptibilibus, quorum virtutes quandoque deficiunt à propriis effectibus, ad quos ſunt ordinatæ, ſicut ad proprios fines: ſicut virtus formativa deficit quandoque à perfecta conſummatione membrorum. Sed tamen ipſe defectus divinitùs ordinatus eſt ad aliquem finem, ut patet ex dictis dum de providentia ageretur. Et ſic nihil poteſt deficere à generali fine providentiæ, quamvis quandoque deſinat ab aliquo particulari fine. Sed ibi non ſentit D.Th. non eſſe finem illum

107. *q. 6. a. 3.* *Sub finem lib. de præd. & provid. Dei, fol. 17.*

à Deo præordinatum ante præviſionem illius defectus: poteſt enim abſolutè eſſe prȩvolitus finis, ſed ad cujus præordinationis executionem prȩviſo defectu voluerit uti, ſicut de Chriſti morte ſup. docuimus, fuiſſe eam ſimpliciter & abſolutè à Deo præordinatam, ſed ad eam implendam, voluntate prævisâ Judæorum uti ſtatuiſſe malitiâ, quam proindè permiſerit ipſe, non fecerit. Quid aliud dicere hîc pro ipſis B. Thom. intelligi poteſt non videmus. Nam illa verba quæ ſuperiora antecedunt, Prȩſcientia Dei non importat univerſaliter habitudinem cauſæ reſpectu horum quorum eſt, nihil eis patrocinantur. Quemadmodùm enim ſup. diximus, Præſcientia in genere non eſt futurorum cauſſa (alioquin enim peccatorum eſſe deberet) quod tamen nihil prohibet quin cætera præviſa ideò eveniant, quia evenire illa Deus abſolutè voluerit.

Cæterùm quod in prælectionibus ſuis ad propoſitionem ſecundam circa q. 22. docere ibi D. Thom. ajunt, media prædeſtinatione non eſſe omnia in particulari efficaciter præordinata, nuſquam illîc (ut ſuprà admonitum eſt) invenimus.

Sed addunt Profeſſores, contrariam ſeȵtentiam etiam noſtris in Scholis, intra biennium

bienninm eſſe defenſam, eaque de re Concluſiones ſeſe ac Theſes habere noſtras. Equidem de quibus loquantur, non ſatis invenimus, niſi eas fortè intelligant quæ anno 1586. Maii 7. diſputatæ fuerunt, in quibus ita ſe habet concluſionis 2. exordium: Oritur autem infallibilis Dei præſcientia contingentium futurorum, non ex eo, quod univerſa in particulari ante præviſionem determinationis cauſarum ſecundarum ſuâ voluntate efficaciter præordinarit &c. Quæ verba ex ſuprà dictis difficultatem non habent, quando ſub illis *univerſis* peccata etiam, quæ præſcita, nec tamen præordinata ſunt, manifeſtiſſimè comprehendantur.

In conſequentibus Apologia ſignificat, hanc divinę providentię abſolutam diſpoſitionem contingentię libertatique eſſe contrariam. Quod ſi verum eſt, ſequetur aut nihil futurorum contingentium eſſe à Deo prædefinitum, aut ſi prædefinitum quid eſt, id abſolutè neceſſariò eventurum. Undè conficitur & Chriſtum abſolutâ neceſſitate pro nobis mortuum. Davidem abſolutâ neceſſitate Regem creatum, aliaque innumera. Sed non adverſari contingentiæ probatur, quia Deus poteſt ipſam in rebus contingentiam abſolutè velle, & cauſas ad hoc congruenter ordinare, ut 109.

quæ voluerit evenire contingenter, eveniant. Imò B. Tho. ſententia eſt, hanc Dei voluntatem contingentiæ in rebus eſſe cauſam: qui proindè ipſam contingentiam, non ad primas cauſas, ſed ad efficaciſſimam Dei voluntatem primitùs cenſet eſſe referendam, ut quia contingenter quædam evenire voluerit; & hoc procul dubiò, in particulari, non confusè tantùm & in genere (quemadmodùm expreſſiſſimè docet, & D. Thom. hoc loco interpretatur Dominicus Bannes) ideò cauſas eis ad hoc convenientes præparet. Diſpoſuit ergo Deus abſolutâ voluntate ſuâ quorundam effectuum contingentiam ante cauſarum ſecundarum præviſionem, quia prior eſt ſecundum D. Thom. contingentiæ in Deo voluntas, ſequiturque convenientis cauſæ ad talem contingentiam præparatio. Quare talis etiam cauſæ præviſio ordine eſt intelligenda poſterior. Tantùm igitur abeſt, ſecundum D. Tho. doctrinam, ut abſoluta Dei voluntas contingentiam tollat, ut ſtabiliat eam potiùs atque confirmet. Undè liquet ad B. Thom. inſufficientiſſimè in Apologia eſſe reſponſum. Neque verò pertinere ad nos debet quid ex ea doctrina efficere hæretici moliantur, quorum mos eſt ille notiſſimus ex veris malè ratiocinando, falſa

colli-

colligere, adeòque & ex Scripturis certiſſimis ſua dogmata ſtabilire. Ut non ergo neganda propterea Scriptura eſt, quod eam hæretici erroris ſui ſternant fundamentum, ita nec propterea illa de providentia Dei & abſoluta rerum præordinatione ſubvertenda doctrina eſt, quod eâ hæretici ad liberum arbitrium ſubvertendum tanquam fundamento abutantur. Quorum profectò cauſam & partes multùm adjuvat Apologia, quando ſic ratiocinatur.

Quod abſolutâ & efficaci voluntate ante prævisionem omnem determinationis cauſarum ſecundarum decretum eſt, nulla creata potentia impedire poteſt. Ubi igitur contingentia & libertas? Nam ſi talis divinæ voluntatis poſitio contingentiam tollit, ergo reverà probabiliter ipſa in rebus contingentia tollitur, vincitque jam hæreſis Eccleſiam, hac in parte ſaltem probabiliter: quia probabili ratione, & eâ quæ defendi poteſt aſſumptione, ad evertendam contingentiam nititur.

Cæterùm ad peccata quod attinet, certum eſt ea nullo modo præordinata à Deo eſſe, ſed præſcita tantùm atque permiſſa, eò quòd non ad eum pertineat ut ea ſuo tempore fieri procuret, quemadmodum nec procurare debere putandus eſt, ut

Mater filium ſuum ante baptiſmum interimat. Sed cùm liberantis illum beneficii ſui nollet habere conſortem, poſſetque per ſe ipſe impedimentum opponere, maluit ad judicii hujus ſui & voluntatis impletionem Maternâ uti præſcitâ malitiâ; quam proindè etiam nec impedire decreverit. Qualis verò ea conſequentia eſt, ut quia de peccatis dici non queat, illa eſſe à Deo prævolita, ideò & ad res minimas idem putemus poſſe extendi. Quis autem non prætereà videat, quàm hoc lubricum ſit fundamentum, undè à minoribus facillima ſit ad majora progreſſio? Et ſanè non ſe intra minima hæc jam continet aſſertio, quando etiam ad hominum ſe mortes extendat, quæ apud Deum & homines non inſulſos non minimi profectò momenti ſunt. Quare cùm hæc ita ſe habeant, mirum videri non debet, quod hanc Profeſſorum opinationem tam graviter putemus accuſandam; præſertim cùm diverſam ſententiam Deo putent indignam, falſamque & periculoſam faciant; quam proindè nec ſequi liceat de contingentiæ origine B. Thom. ſententiam: Imò verò hæreticorum contingentiam negantium, ipſi potiùs inconſulto zelo partes adjuvent atque promoveant. Neque poſthàc erit, cur ſuam ſententiam com-

communem ac receptam potiùs habendam exiſtiment, quando ex quàm plurimis,quos produxêre, Veteribus, nec unum quidem eis fecerimus reliquum; ex Scholaſticis verò B. Thomam, quem unum 112.
ſibi videri volebant patrocinari, etiam eripuerimus; cumque Scotum & Cajet. etiam ipſis teſtibus, pro nobis facere docuerimus, quibus nunc præter Auguſtin. etiam Banneſium adjicimus. Ne quid tamen diſſimulemus, Catharinum habent ſuffragatorem, cujus cur hîc teſtimonium adhibere maluerint, ipſi ſanè viderint.

Partim in hujus loci Apologia partim in antitheſib. ſuis.

Ad Apologiam Aſſertionis 8. 9. 10. 11. 12. & 25. *De gratia ſufficienter præparante.*

CAPUT XI.

APertè hîc Apologia detegit, quod Cenſura notaverat, videlicet, *gratiam ſufficienter præparantem hominis voluntatem* (de qua præcipuè hîc controverſia eſt) *conſiſtere interdùm cum eo, quod voluntas nihilominus averſa & incorrecta permaneat.* Ait enim Apologia, fieri poſſe & de facto ſæpè fieri, ut quis auxilium habeat preveniens omninò ſufficiens in genere auxilii præ-

Sentent. Profeſſ. Societ. de gratia ſufficienter præparante.

venientis ad converſionem, & tamen non convertatur, quia non vult: hoc eſt
113. quod iterùm nobis non probari teſtamur, negamuſque doctrinæ Auguſtini conſen-
Improb. ratio 1. taneum. Primùm quia de præveniente ſeu præoperante gratia loquitur Apoſto-
Ad Phil. 2. lus, cùm dicit, Deus eſt qui operatur in no-
Ezech. 36. bis velle: & Propheta cum ait, Faciam ut in præceptis meis ambuletis. Non operatur autem Deus velle in eo, qui non vult, nec facit in præceptis ſuis ambulare eum, qui adhuc benè vivere recuſat; non eſt igitur in eo gratia ſufficienter pre-
2. Ratio. parans. Secundò quia præveniens gratia eſt quæ petitur, cùm dicitur Deo, Converte nos Deus ſalutaris noſter, & quâ Eccleſia hominibus infidelibus, ut cre-
Pſalm. 84. dant, impetrare conatur. Atqui non exauditur hæc Eccleſiæ oratio, niſi in his qui convertuntur & credunt, non eſt igitur in quoquam gratia ſufficienter operans ad credendum, niſi in eo qui vult credere. Undè ſi quem ſciret Eccleſia ad credendum quidem plurimùm excitari, ſed nondùm tamen euſquè ut credere vellet, pro eo nihilominùs orare perſiſte-
114. ret, ut Deus eum convertere dignaretur: & duobus æqualiter excitatis & præparatis, pro eo qui crediſſet, peculiares ageret gratias, quod eum Deus ſuæ gratiæ opera-

operatione convertiſſet. Benè proindè Auguſtinus ex orationibus Eccleſię ipſam credendi voluntatem, atque mentis ad conſentiendum obedientiam, non ſolùm gratiæ oblationem ſeu excitationem, Dei donum eſſe commonſtrat. Quid enim oramus, inquit, pro nolentibus credere? niſi ut Deus in illis operetur & velle. Et rurſùm Orat, ſcilicet Apoſtolus, pro non credentibus, quid; niſi ut credant? Et l. de dono perſeverantiæ cap.7. Si alia, inquit, documenta non eſſent, hæc dominica oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret, quia nihil nobis relinquit in quo tanquam in noſtro gloriemur. Itaque ſicuti idem Aug. ait, ipſa oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio, ex qua intelligimus, non ſolùm gratiæ oblationem quâ poſſumus ſi volumus, ſed omninò ipſum ſecundum ſe velle & credere ad ſpecialem Chriſti gratiam pertinere; hæc enim dari hominibus poſcimus orando, quæ non poſſunt intelligi data, niſi habeantur atque præſtentur. Nec rectè intelligitur etiam Deus dediſſe quod jubet, juxta clariſſimam Auguſtini precationem (quam auditam Pelagius ferre non potuit) quamdiu quod ille juſſerit, non impletur. Accedit huc 3. quod omnis illa præparatio quæ adhuc

De prædeſt. ſanct. c. 8.

Rom. 10.

Epiſt. 95.

3. Ratio.

ab animi conſenſu & obedientia disjuncta eſt, nihil aliud ſit, quàm ſuaſio & pulſus, non autem perſuaſio & cordis apertio: atqui gratia Chriſti ſufficienter præparans non ſolùm ſuadet, verùm etiam perſuadet, nec ſtat modò ad cordis januam pulſans, ſed ipſum etiam cor aperit, rebellemque & adverſam ſibi ſubjugat voluntatem. Undè cùm Pelagius in eo ſpecialem Chriſti gratiam poſuiſſet, quod Deus revelatione ſapientiæ in deſiderium ſibi ſtupentem ſuſcitat voluntatem, ſuadetque omne quod bonum eſt, ac nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis
115. illuminat (quibus ille verbis & interiorem ſuaſionem, & excitationem complexus
De grat. Chriſt. c.10. & 77. eſt.) Cùm ergo ille ſic Chriſti gratiam prædicaret, affirmare non dubitat Auguſtinus nihil eum aliud dicere gratiam quâ Deus operatur in nobis, niſi legem atque doctrinam; docetque non ſufficere ſuaſoriam qualemcumque illuminationem aut excitationem, ſed quæ perſuadet ſecumque affert animi conſenſum & obedientiam, ut non debeat gratia ſufficienter excitans à conſenſione disjungi; ſed omninò talis & tam efficax judicari, ut nos etiam faciat conſentientes. Ideòque poſt ſuperiora Pelagii verba, D. Auguſtinus, ſed nos, inquit, etiam gratiam volumus
iſti

iſti aliquando fateantur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & amatur, non ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt, verùm perſuadetur. Quid manifeſtius quàm velle Auguſtinum ut Dei gratia ſufficienter præparans, ſeu præoperans, ponatur in eo ipſo, quod nobis perſuadetur, in eoque quod credimus & amamus: non autem in eo ſolùm, quod etiam ſine effectu, ad credendum & amandum excitamur, & hoc ipſum velle, ut à Pelagii dogmate recedatur? Neque verò evadere hîc quiſquam iſtâ reſponſione poteſt, ut dicat gratiam Dei eſſe credere & amare, ſed quatenùs per excitantem & ſuaſoriam illam gratiam nobis volentibus & conſentientibus generatur in nobis. Nam & hoc dicebat Pelagius, cùm interpretaretur, Deum operari in nobis velle & perficere, quia ſuaderet omne quod bonum eſt, iſtâque ratione torpentem ſuſcitaret voluntatem.

Vult igitur Auguſt. in eo propriè definiri Chriſti gratiam, quod ultra ſuaſoriam quamcumque excitationem, ipſum etiam conſentire & credere ſpecialiter operetur, nec in eo ſolùm quod ſuadeat, verùm etiam, ſicut apertiſſimè dicit, perſuadeat. Ut indè ſit perſpicuum, nemi-

nem omninò quantumlibet excitatum, intus & foris habere Chriſti præoperantem gratiam, de qua potiſſimùm fuit cum Pelagio certamen, niſi credat atque conſentiat, nec ſuaſus ſolummodò, verumetiam perſuaſus abſcedat. Undè & alio
Cap. 3. ejuſdem lib. loco dicit: Qui agnoſcit quid fieri debeat, & non facit, nondùm à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem, nec ſecumdum Spiritum, ſed ſe-
4. Ratio. cundum litteram. Accedit 4. quod Scripturæ gratiam Novi Teſtamenti in eo clarè conſtituant, quòd auferat ipſa cor lapi-
Eſech. 36. deum & tribuat cor carneum. Cùm igitur ante conſenſum ſubmiſſionemque voluntatis, cor lapideum permaneat, quantumcumque excitetur, conſequens eſt, per hoc auferri cor lapideum, quod ipſum conſentire ſpeciali ſuâ & præveniente
116. gratiâ Deus operetur in nobis. Neque verò hîc poſſunt ad gratiæ juſtificationis infuſionem confugere: nam & antequam illa infundatur gratia, quando videlicet homines adulti credere incipiunt, & Deum tanquam juſtitiæ fontem diligere, cordis aufertur lapidea illa durities, molleque efficitur per obedientiam. Undè manifeſtum eſt prætereà, ante infuſionem charitatis ſeu gratiæ juſtificantis, agnoſcendam eſſe gratiam Dei efficaci ſuâ præopera-

opera-

peratione cor durum mollientem, quam nondùm habeat is, qui credere nolit, quantumcumque tandem fuerit intus etiam excitatus; ſicuti & ante illam juſtificantem gratiam, in iis qui credere incipiunt, interpretatur Auguſt. incipere etiam impleri quod promiſſum eſt, faciam ut faciatis. 117. *De præd. ſanct. c. 11. Eſech. 36.*

Quintò urgemus & hoc, quod ſi gratia ſufficienter pręparans ac pręveniens voluntatem non eam tamen faciat conſentientiem, ſed ab ea conſenſum expectet, ſequi videatur ad conſentiendum gratiæ Dei excitanti, naturæ viribus liberum arbitrium ſibi ſufficere; ut ſic nimirùm Deus incipiat excitando, homo verò perficiat ex ſeipſo conſentiendo; cùm expreſſiſſimè dicat Aug. l. de prædeſt. SS. Sicut nemo ſibi ſufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum, ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ubi ſatis oſtendit non ſic debere nos cum Deo dividere, ut vel initium nobis, illi perfectionem, aut è diverſo illi initium, nobis perfectionem fidei vel operis boni tribuamus. Quarum quidem cum Deo partitionum poſterior iſta nocentior, atque in gratiam Dei injurioſior, quod ſalutaris 5. *Ratio.* 118. *Cap. 2.*

operis

operis principalem partem, quæ in conſenſu gratiæque amplexu poſita eſt, corruptis adſcribat naturæ viribus; cùm aperJoan. 15. tiſſimè Chriſtus dicat, Sine me nihil poteſtis facere. Neque hîc juverit eos, quod recurrerit ad ſupernaturalem concurſum, ſeu concomitantem gratiam, ſine qua negant liberum arbitrium gratiæ excitanti poſſe conſentire: primùm, quia dicant comitantem illam gratiam habere ſe ad modum concurſus naturalis, eique eſſe perſimilem.

Nam ſicut hic concurſus naturalis non impedit, quò minùs ex ſeipſo videre & naturæ viribus ſibi homo ad ambulandum ſufficere poſſe videatur; ſic ille ſupernaturalis non impedit quò minùs verè dicatur homo ad credendum & diligendum Deum, ſive gratiæ excitanti conſentiendum, naturæ viribus ſibi ſufficere. Deindè quia corruptæ naturæ ſpecialis per Chriſtum gratia commendatur; ubi dicitur, Sine me nihil poteſtis facere: Ille autem ſupernaturalis concurſus etiam Angelis, ex 1. naturæ juſtitutione eſt neceſſarius ac debitus. Neque etiam eſt quod dicatur, ideò ſine gratia Chriſti hunc non eſſe conſenſum; quia ſine gratia illa excitante ſive ſuadente nunquam in nobis exurgeret. Nam & hoc elabi Pelagius ſub-

terfugio

terfugio poterat, ut diceret ſe ideò omnia Chriſti gratiæ aſſignare; quod niſi prædicatione, & promiſſis, & revelatione ſapientiæ excitaretur od bonum humana voluntas, in peccatis obdormiſceret ſuis, neque ſe in propriam ſalutem conaretur erigere. Agnoſcendum eſt igitur ideò ſine Chriſto nos conſentire gratiæ ejus non poſſe, quod ad hoc ipſum pręſtandum ſpeciali ac proprio gratiæ ejus indigeamus auxilio.

Sexto loco & hoc adjungimus. Si gratia *6. Ratio.*
ſufficienter præparans & præoperans ad credendum poſſit eſſe in eo, qui nolit credere, ſequitur quod ipſa ſit communis credenti & non credenti, neque diſ-
cernat credentem à non credente, ſed ip- 119.
ſum ſe diſcernat hominis liberum arbitrium, in uno gratiæ conſentiens, in altero eidem diſſentiens; cùm Apoſtolus prævenientem commendans Chriſti gra-
tiam, dicat, Quis te diſcernit, quid au- *1. Cor. 4.*
tem habes quod non accepiſti? Scribebat autem hæc Apoſtolus ad reprimendam elationem, quâ unus ſubindè inflatur adverſus alium, ſive quia credịt præalio,
ſive quia benè vivit. At ideò te, inquit, 120.
non debes inflare adverſus proximum, quod te ab illo in hiſce rebus non liberum tuum ſolùm diſcernat arbitrium, ſed gratia

tia Dei. Atqui diſcernit ſolùm inter aliquos liberūm arbitrium, videlicet inter credentem & non credentem, nec abeſt cauſa ſeſe alteri glorianter præferendi, ſi in gratiæ excitantis paritate, unus per liberum acceptat arbitrium, alter non acceptat. Quâ fronte enim acceptanti gratiam, ſeque ipſum hoc nomine alteri pręferenti, dicatur, quid habes quod non accepiſti? Cùm in promptu ſit ut reſpondeat, habere ſe gratiæ amplexum atque conſenſum, quem non acceperit. Id autem in negotio ſalutis magnum omninò eſt præcipuique momenti, ne quis hîc dicat (quod quidem Ruardus facit) non magnæ pauperi eſſe gloriæ, quod ad accipiendam eleemoſynam oblatam præ alio manus extenderit. Magnæ ſiquidem gloriæ eſt in Chriſtum credere, & vocationi ejus præbere conſenſum. Si autem ex adverſo quis dicat, eum qui credit, accepiſſe ipſum conſentire, per hoc quod eſt divinitùs ad amplexum gratiæ excitatus: jam etiam alter qui non credit, acceperat; ut qui ponatur pari ad fidem gratiâ

Epiſt. quadam ad Pet. de Soto ſed nondum excuſa.

121. fuiſſe præparatus. Quia verò gratia Dei ſufficienter præveniens ac præoperans, non ſolùm excitando invitat ad aſſenſum, verùm etiam conſentientem facit, perſpicuum eſt conſentientem à diſſentiente non

non ſolo diſtingui libero arbitrio, ſed etiam beneficio gratiæ Dei, quæ (ſicut pręclarè ex Apoſtolo D. Aug. ait) non eſt communis bonis & malis, ſed diſcernit bonos à malis: quem Auguſtini locum fruſtrà coarctant ad gratiam juſtificantem; cùm ille ut hoc diceret, non de ſola, quæ juſtificat, charitate, verùm etiam de ipſa, quæ præcedit, fide loqueretur. *De præd. c. 5.*

Siquidem paulò antè ſcribit: Poſſet, inquit, homo inflatus dicere adverſus alterum, diſcernit me fides mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: Quid autem habes, inquit, quod non accepiſti? A quo niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi? Et ſtatim: Nihil autem huic ſenſui, inquit, tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tamquam ſibi ipſi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia quæ diſcernit 123.
bonos à malis, non quæ communis ſit bonis & malis. Ubi tametſi meritorum meminerit, quę ſine gratia iſta dicunt eſſe non poſſe, non tamen gratiam juſtificantem voluit intelligi, ſine qua bona opera nequeunt eſſe vitæ æternę meritoria. Eſt enim legenti perſpicuum, loqui Auguſtinum non de operibus vitæ æternę meritoriis, ſed de iis quæ nonnulli, contra

quos agebat, fingebant præcedere gratiam Dei, ut hæc illorum daretur intuitu; cùm nec illa quidem quæ de congruo merita dici conſueverunt, aliundè quàm ex gratiæ fonte poſſint emanare. Itaque & hoc meritum, quod in eo ſitum eſt, ut quis incipiat credere & veritatis prædicationi conſentire, docet Aug. eſſe ex gratia, non quę communis ſit credenti, & non credenti; ſed quæ credentem bonique propoſiti hominem à non credente diſcernat: non quia credere, inquit, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideò, inquit, ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, id eſt, actualem fidem pertinet, quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Undè etiam patet Auguſtinum non de gratia loqui concomitante, quæ ſe habere dicatur ad modum concurſus generalis, ſed de ea de qua ſcriptum eſt; Pręparatur voluntas à Domino. Hanc communem eſſe negat credenti & non credenti, ſed per eam docet credentem à
123. non credente diſcerni. Ex quo & illud verum non eſſe cognoſcitur, præter excitantem gratiam, quam Profeſſores ponunt eſſe communem credentibus & non credentibus, non requirere Augusti-

guſtinum aliam gratiam prævenientem, quæ faciat credere; cùm hîc apertiſſimè doceat, per gratiam prævenientem voluntatem, fieri, ut quis credat, eâque gratiâ diſcretionem effici credentis à non credente. Dicit etiam in electis præparari voluntatem à Domino, quam præparationem ſi intellexiſſet à fide & converſione eſſe ſæpè diſtinctam, non eſſet cur eam præparationem propriè tribuiſſet electis ad converſionem & fidem, cùm & non electis, & nunquam omninò credituris hæc præveniens & præparans gratia inveniatur eſſe communis. Poſtremò 124.
jam dicant ipſi, quæ ſit iſta gratia ſufficienter præparans; quâ tamen poſitâ, homines aliqui nec credere volunt, nec vivere rectè. Ajunt enim de facto ſæpè fieri, ut quis habeat auxilium præveniens omninò ſufficiens in genere auxilii prævenientis ad converſionem, & tamen non convertatur: quodnam ergo iſtud ſufficienter præveniens? Nimirùm, ajunt, bonæ cogitationes ex parte intellectus, & affectiones ad bonum, averſionemque à malo ex parte voluntatis. At quonam iſtud modo? Si quis enim ſufficienter afficitur ad prædicatum ſibi Dei Verbum, & errorem contrarium ſufficienter averſatur, jam vult credere,

eamque affectionem ipſe ſibi ſentit ad converſionem ſufficere : ſi autem nondùm vult credere & adhuc fidem averſatur, nondùm etiam habet ſufficientem affectionem ad ea, quæ ſunt propoſitæ ſibi religionis. Undè colligitur, ſufficientem præparationem nunquam eſſe à credendi aut benefaciendi voluntate disjun-
125. ctam. Si enim affectio bona præparatio eſt, ergo ſufficiens affectio ſufficiens erit præparatio. Atqui probari non poterit ille ad credendum verbo Dei ſufficienter affectus, qui prædicationem ejus reſpuere perrexerit, ipſaque ſufficiens ad credendum affectio jam fides eſt, & ſufficienter ad converſionem affectus intelligi nequit non eſſe converſus.

Reſponſio ad argumenta Apologiæ.

Sed jam ad argumenta reſpondendum eſt, quibus ſuam Apologia cauſam tueri conatur.

Ad 1. argum. ex Concil. Trid. Bannes in 1.2. D.Tho. q. 10. art. 1. docet 3. & in 1. p. q. 23. art. 3. concl. ult.

Primum ac præcipuum eſt, quod ex Conc. Trid. verbis conficitur, in quo diſſolvendo Doctores aliqui Catholici operam poſuerunt, quorum libri extant, nec infirmat traditam ex Auguſtino doctrinam. Eſt enim veriſſimum, gratiæ excitanti hominem liberè aſſentiri ſeu acquiſcere,

quiſcere, quando per eam præparatus, liberè credit, ac pœnitentiam agit, neque nihil agere inſpirationem illam recipiendo; quippè qui & illam abjicere poſſit non credendo. Non quod ſimul conſiſtere queant, ut inſpirationem recipiat & eam abjiciat, ſed ſic inſpirationem recipit credendo, ut tamen poſſit, ſi velit, non credere. Agit ergo recipiendo mens hominis, & agit liberè; quia ſic credit, ut 126.
per flexibilem in oppoſitum arbitrii libertatem poſſit non credere. Hæreſis autem contra quam iſta decreta ſunt, primùm aſſerit, gratiam afferre credendi benèque vivendi neceſſitatem, nec poſſe eum qui credit, fidem ſuam abjicere. Denique liberum arbitrium, velut inanime quoddam, nihil omninò agere, merèque ſe paſſivè habere. Aperta ſunt hæc Concilii verba, & omnia & attentè legenti. Ut non multùm ad nos pertineat, quid hîc aliqui reſpondere dicantur. Tametſi ea reſponſio non mala, quæ aſſenſum interpretatur ex parte intellectus, qui aſſentitur gratiæ vocanti & præparanti, quatenùs ipſa eſt illuminatrix & ſuaſoria, cùm præſertim Concilium expreſſam illuminationis mentionem faciat, eandemque inſpirationem illam eſſe ſignificet quæ & recipi & abjici poſſit. Iſtiuſmodi ergo reſponſio

per hoc malè refutata creditur, quod in Concilii verbis nominetur liberum arbitrium. Nam liberum quidem arbitrium voluntas eſt, ſed non ſine intellectu, nec ſolus voluntatis actus, ſed & is qui eſt intellectus, velut ipſum credere, ſeu aſſentiri vocanti Deo, libero hominis arbitrio eſt adſcribendus. Liberum igitur arbitrium acquieſcit gratiæ excitanti ac juvanti, & per intellectum aſſentiendo, & per voluntatem cooperando. Siquidem duobus illis excitandi & adjuvandi verbis, duo
128. alia ſubjunxit Concilium correſpondentia, aſſentiri, & cooperari. Cæterùm ſuaſoriam illuminationem poteſt voluntas nondùm inclinata reſpuere, bona verò acquieſcendi voluntas propriè loquendo reſpuere ſeipſam non poteſt. Si enim reſpuit, mala eſt; ſin acquieſcit, bona: ſimul autem & bona & mala eſſe non poteſt. Quod autem aliqui reſpondere dicuntur, ideò liberè moveri quia voluntariè non coactè. Id non neſcimus minimè ſufficere: Et viderint ſanè quinam ita reſpondeant, modò id nobis reſponſum ſtudioſè non affingant. Sed nec ſcimus qui nunc dicant, libertatem ideò non impediri, quia non ipſa facultas adimatur, ſed in ſuo dumtaxat uſu impediatur. Quis enim dicendum putet Catholicus, impediri,
liber-

libertatis uſum, cùm fatendum ſit, voluntatem libero actu moveri in Deum? Sic enim prorsùs movetur in Deum, ut per rationis judicium, in diverſum ſeipſam inflectere & movere poſſit. Et quamvis ad hunc ipſum actum Dei gratia hominum animum determinet, tamen ſicut appetitum Piſcis ad ejiciendum Jonam determinavit Deus, per modum naturæ appetitui tali congruentem; ita & determinat gratia ad actum pietatis, per modum electionis libero convenientem agenti. Quod verò dicitur quidam nuper reſpondiſſe, Concilium ea in parte non fuiſſe relectum, & quodam in loco deprehenſum errorem, hoc è noſtro gremio neminem dicentem audivimus, nec ſi quis ita diceret, ferendum eſſe putaremus.

Aliud argumentum ex ratione liberi actus petitur, ad quem hoc pertinere ſtatuitur, ut voluntas quomodocumque præparata, ſit indifferens, & indeterminata ad illum actum in aliquo inſtanti antecedente actum; vel etiam ſicut Apologia poſterior ad Duacenſem Cenſuram expreſſit, ut actus procedat à voluntate tempore & naturâ priùs indeterminatâ ad ipſum. Indè colligitur, ſi gratia prçparans ſeu præveniens efficaciter & infallibiliter

2. argumen.

Notabile axioma diverſæ ſententiæ.

129.

ter voluntatem ad actum ſuum determinet, tùnc actus deſtrui libertatem. Hîc animadverti cupimus quanto periculo iſta dicantur. Primùm enim, ſi tali aſſertione gratiæ, deſtruitur libertas actus ab ea procedentis, damnanda erit aſſertio Catholicis probata multis, & ſcripturæ atque Auguſtini doctrinæ conſentanea. Deindè non mediocriter adjuvatur hæreſis, ut ſaltem probabiliter viciſſe videatur in eo, quod per gratiam afferat actus deſtrui libertatem. Siquidem antecedens, undè hoc colligit, ſi non certum eſt, tamen neque damnatum eſt, & probabiliter etiam juxta ſcripturæ & Auguſtini ſententias defenditur. Conſequentiam autem ſic Profeſſores concedunt confirmantque etiam, poſito illo de liberi actus ratione principio. Non erit igitur hęreſis illa damnanda, ſed probabiliter etiam adſtruet, prædicatione gratiæ Dei, benè agendi ſubmoveri libertatem. Ex quibus perſpici poſſe putamus, quàm periculosè nobis de tali præſcribatur, quo affirmetur, hoc eſſe de ratione liberi actus, ut voluntas quomodocunque præparata ſit, tamen tempore & naturâ priùs ſit indeterminata & indifferens ad iſtum actum.

130. Sed neque verum id eſſe principium ex eo poteſt intelligi, quod in Deo certè

pro-

propriiſſima ſit ratio liberi actus, qui tamen priuſquam cælum & terram vellet condere, fingi non poteſt ad eum actum fuiſſe indeterminatus & indifferens. Chriſtum quoque ex 1. conceptionis ſuæ puncto meruiſſe, liberèque pro hominum genere mori voluiſſe, rectiſſimè in Eccleſia defenditur. Cur ergo neceſſe eſt, ut liberum actum tempore & naturâ præcedat indeterminatio & indifferentia voluntatis? Quâ in re ſi Profeſſores Scotum ſibi patrocinari exiſtimant, alium ſibi norunt quærendum ejus locum, quàm in Apologia expreſſerint, videlicet in 3. ſent. diſt. 18. quo loco diverſa potiùs confirmatur ſententia.

Eſt id quidem verum & apud varios authores reperitur: Ad rationem libertatis pertinere, ut omnibus poſitis ad agendum neceſſariis, in poteſtate ſit agere & non agere: ſed omnibus ad agendum poſitis, non neceſſe eſt vel minimi temporis intervenire moram, priuſquam agat. Cum ipſo quippè actu conſiſtit illa agendi & non agendi poteſtas: ut ſicut ab æterno voluit Deus hoc univerſum condere, ita ſimul potuerit non velle. Ruſùm tametſi requiratur ad libertatem, naturalis 131.
ad actum indeterminatio, id eſt, ut voluntas ad ſuum actum nullâ ſit naturali

 neceſſi-

neceſſitate conſtricta, quo modo conſtricta eſt in motibus naturalibus; tamen non requiritur, ut vel aliquo inſtanti, aut temporis, aut naturæ ordine præcedat indeterminatio. Cùm certum ſit, in Deo, in quo fons eſt ſummaque libertatis proprietas, nihil realiter eſſe prius aut poſterius tempore vel naturâ. Quod autem ad rationem liberi actus requiratur, ut voluntas non ſit ad eum naturâ determinata aut conſtricta naturali neceſſitate, quomodò pecora naturaliter aguntur, nihil id impedit, quò minus gratia Chriſti efficaciter noſtram voluntatem determinet, ſalvâ actus libertate. Neque enim determinat eam per modum naturæ, ſed per modum electionis, operans in nobis velle, ſalvo eo volendi modo, in quo ſumma
132. ineſt nolendi poteſtas. Cur enim hoc facere neſciat ſapientiſſimus inſtaurator? aut quid hîc ei de humanarum ratiuncularum imbecilitate præſcribimus. Ideoque nec illud verum eſt: Gratiâ Dei efficaciter determinante poſitâ, neceſſariò operari arbitrium; niſi intelligatur de neceſſitate conſequentiæ; ſeu compoſitionis. Simul enim conſiſtere nequeunt, ut Deus ſic efficaciter humanam voluntatem agat, & ipſa non ſequatur; ſive, ut
Phil. 2. Apoſtoli etiam utamur verbis, ut Deus opere-

operetur velle in homine, & ipſe non velit. Hoc & Ruardus ipſe docet: *Deum videlicet* agendo efficere, ut homo veniat ſecundum naturam ſuæ libertatis, & ideò liberè & per electionem boni; quamvis ſimul (ait) conſiſtere nequeant, ut ſecundum Dei propoſitum agatur, & ipſe non ſequatur. Qui etiam de concordia gratiæ & liberi arbitrii agens, quintam propoſitionem ſic expreſſit: Solâ gratiâ efficacis operationis divinæ poſitâ, neceſſariò ſequitur effectus quem operatur: fides ſcilicet, converſio, perſeverantia, & opus bonum, quamvis ſimpliciter per arbitrii libertatem poſſint non fieri. Quò etiam pertinet quod D. Proſp. dicit, Impoſſibile eſſe ea, quæ prędicta ſunt de converſione Gentium, non fieri, non modò propter divinæ præſcientiæ infallibilitatem, verùm etiam propter efficaciam voluntatis. Sed impoſſibile hoc eſſe dicit, in ſenſu compoſito, cum quo interim libertatem converſionis non dubitat poſſe conſiſtere. Nam quis ita ſibi præfidat, ut neget poſſe Deum efficaciter inflectere, ſibique præoperando ſubjicere hominis arbitrium liberum; ſic tamen ut incolumem ſervet naturalem ejus operandi modum, quo quippiam cum judicio liberaque electione ſuſcipitur. Nam quod ſubjicitur

Art. 7. pag. 379.

Ibid. fol. 302.

Lib. 1. de voc. Gent. c. 9.

Argum. 3.

jicitur, de amore beatorum erga Deum, Non is eſt ex nuda ſuppoſitione efficacis Dei operationis neceſſarius, ſed ex eo quod humanæ voluntatis ſic immutavit Deus ſtatum, eamque ſic penitùs hâc affectione imbuit atque firmavit, ut quaſi in naturalem converſa motum videatur.
133. Deindè clarè; & ſecundum propriam ſui ſpeciem, benè diſpoſitæ menti exhibita Divinitas, objectivè ſic movet, ut animum ad ſe totum rapiat. Hîc autem cùm nihil tale ſit, neque in confirmatione voluntatis ad bonum, neque in objecti tam admiranda atque amabili claritate, ſola fingitur operatio Dei, quæ nos velle facit, volendi neceſſitatem afferre; quaſi neſciat ſic efficaciter Deus regere quod condidit, ut naturalem, quem indidit,
134. operandi modum non corrumpat. Si autem neceſſitaret Deus hominem ad aliquem actum, eſſet quidem ille neceſſarius non ex mera divinæ motionis ſuppoſitione (ſicut Apologia prætendit) ſed ex eo quod hominis animus per naturæ modum, non per modum electionis, ſeu liberè agentis moveretur; ſicuti movetur ad appetendam in genere beatitudinem miſeriamque fugiendam. Quo modo videtur intellexiſſe Chryſoſtomus, Deum non prævenire noſtras

Hom. 12. in epiſt. ad Heb.

vo-

voluntates, videlicet eas neceſſitando, ne noſtram temeret libertatem, quod Manichæi, contra quos ille diſputat, faciebant, introducendo naturam mali ex quà malè, & naturam boni ex qua benè eſſet neceſſarium facere. Porrò tametſi quod *Argum. 4.*
ſupponitur, id eſt, divina motio non ſit in hominis poteſtate; movet enim ille cor noſtrum, quando vult, & quantùm 135.
vult, non exſpectatâ ad id noſtrâ quaſi priore uoluntate; tamen ſic agit hominem pro ipſius libera conditione, ut actum quem producit, in libera ejus poteſtate relinquat. Nam & actus, cùm eſt, liber eſt, quantumcunque contradixerit Catharinus. Alioquin nunquam homo vel Angelus liberè agit: nec prævia requiritur deliberatio aut indeterminatio, ne Deum quoque ipſum actus ſui libertate ſpoliemus. Certè quo quiſque eſt ſapientior atque ad agendum inſtructior, cò minus deliberat. Licet autem factâ ſuppoſitione, ſequatur actus neceſſariò, neceſſitate conſecutionis, non tamen eſt in ſe neceſſarius, propter cauſæ 2. conditionem, ſed liber; qui ſcilicet ſic fiat ab homine, ut poſſit idem liberâ contrarii electione non fieri. Quod ſi propterea, 136.
non erit actus in hominis poteſtate libera, quia factâ ſuppoſitione divinæ motionis,
non

conſiſtat, ut eodem temporis puncto homo non agat, jam & ſibi quiſque agendo quippiam, liberam aufert non agendi poteſtatem, eo quod factâ ſuppoſitione actionis, non conſiſtat ſimul, ut homo non agat. Et rursùm; Si quod neceſſariò colligitur neceſſitate conſequentiæ, ideò non eſt in noſtra poteſtate, quia quod in antecedente ſupponitur, in noſtra poteſtate non ſit, jam & ipſi fateri cogentur, non eſſe in libera poteſtate
137. Chriſtum ſequi & audire: quia vocatio quâ ſic vocat, ut videt hominem ſecuturum non eſt in noſtra poteſtate: eſt enim hæc conſecutio neceſſaria, ſic Deus vocat Petrum, uti eum videt ſecuturum, ergo ſequetur. Antecedens non eſt in Petri poteſtate, ergo nec conſequens. Similique ratione efficeretur Gentium converſionem non eſſe liberam, quia promiſſio Dei, quâ illam abſolutè promiſit, non erat in Gentium poteſtate, quâ tamen promiſſione ſuppoſitâ, ex ea neceſſariò concluditur converſionem fuiſſe futuram. Denique non videmus, quâ magis ratione roborari & armari queat hæreſis, ad tollendam in converſione liberam poteſtatem, quàm ſi quid
138. virium iſtæ habere putentur argutiæ. Nos igitur iſtiuſmodi erroris principia, & hæreticorum arma fugientes. Dicimus hominis actum v. g. credere, eſſe liberum. Et in ſe, quia

quia non habet neceſſariam habitudinem ad cauſſam ſui proximam, quæ eſt libera hominis voluntas; & in ſua cauſa, quia liber eſt Deus in ſua, quâ movet, operatione. Cur ergo non ſit liber actus, qui & à Deo ſit liberè movente profectus, & ad quem proxima ejus cauſa nullâ naturali neceſſitate conſtringitur, ſed ab eâ ſuſcipitur liberâ electione? Ex quibus non eſt diffi- 139.
cile animadvertere, quàm parùm oporteat illo terriculamento moveri, quo dicitur, fore hominem totâ vitâ ſuâ neceſſitate adſtrictum, ſi ponatur in eo Deus efficaciter operari; cùm ne in una quidem ejus actione hæc adhuc ſit probata neceſſitas. Putamus etiam homini Catholico ſtatim diſplicere debere ejuſmodi ſermonem, quo dicatur efficax præoperatio Dei, libertatem actionis auferre; cùm in eo quod Apoſtolus dicit, Deum operari in nobis velle & perficere, planè efficax ejus operatio intelligenda ſit, non ea, quâ volentem ſuo concurſu comitatur, quod & incorruptis hominibus fuit neceſſarium, ſed ea quâ prævenit ac præoperatur, ut velit, ſic omninò, ut eam gratiam non habeat, niſi qui velit. Declarat hoc Auguſtini locus: Certum eſt, inquit, nos velle cùm volumus; ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod præparatur voluntas

Phil. 2.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 16.

tas à Domino ; de quo dictum eſt, A Domino greſſus hominis dirigentur ; de quo dictum eſt, Qui operatur in nobis velle & perficere, aliaſque non rarò. Et hunc Apoſtoli locum, & gratiam Chriſti quæ præſtat efficaciter ut velimus, de præoperante gratia explicat, non de illo concomitante concurſu, quem non ignorabat ad 1. naturæ inſtitutionem creationiſque beneficium, non ad Chriſti propriè gratiam pertinere. Quod autem addit Apologia, ipſam excitationem eſſe gratiam efficacem, quando ita fit ſicuti præſcit Deus hominem ſecuturum, hoc aliud nihil eſt ; quàm efficacitatis rationem ponere in eventus præſcientia; quomodò & ipſa exterior vocatio gratia efficax erit, quando ita fiet ut præſcit Deus hominem crediturum.

Reſponſio ad Auguſt. quædam loca, quæ in Apologia objiciuntur.

Cap. 16. ALlegatur poſteà Auguſt. ex lib. 12. de Civit. Dei, ubi ponit duos æqualiter affectos animo & corpore, & pari tentatione pulſatos, dicitque, alterum horum cadere, alterum ſtare, quod hic velit liberè à caſtitate deficere, alter nolit. Indè colligitur, eum non requirere gratiam iſtam efficacis præoperationis in eo qui ſteterit. Verùm

rùm & hoc malè colligitur, neque ſatis ad propoſitum allegatur Auguſtinus. Primùm 140.
quia horum intentio eſt, probare ex Auguſt. duobus in gratia paribus, propriâ voluntate unum cadere, alterum verò ſtare, ideoque diſcretiönem horum duorum non eſſe petendam à gratia, in qua ponantur pares, ſed à ſolo libero arbitrio; quod in uno per ſeipſum ſtet, non appoſitâ efficaciori gratiâ, quàm habuerit ille qui cecidit. At D. Aug. nullam talis paritatis ſignificationem facit, ſed ponit æqualiter affectos animo & corpore; quod rectè intelligitur de affectione & conſtitutione naturali; poteſtque exemplum etiam hoc accipi in duobus Gentilibus, qui eodem modo ſe habeant in ſtatu caſtitatis, eâdemque tentatione pulſentur, quorum unus oblatâ pulchritudine, accendatur ad turpem amorem, alter verò perſiſtat immotus. Deindè impertinens erat Auguſtino, quâ ratione, quove auxilio fieret, ut alter ſtaret; cùm ſatis eſſet ejus propoſito, eum qui caderet, non niſi propriâ cadere voluntate: neque enim illic quærebat Auguſtinus cauſam voluntatis ſtandi in bono, ſed undè eſſet mala voluntas cadentium, ſicuti facilè id perſpicit qui totum caput dignatur inſpicere. Certum eſt igitur, è duobus paribus & eum qui cadit, non cadere niſi propriâ vo-

luntate; & eum qui ſtat, per liberum quoque ſuum arbitrium ſtare. Verùm utrum is qui ſtat, majori ſit adjutus auxilio, quàm alter qui cecidit, ad inſtitutum Auguſtini
141. non pertinebat. Non enim idcircò alter non cecidit per ſuum ſolum liberum arbitrium, quia alter ſtetit peculiari adjutus beneficio gratiæ Dei. *Neque ideò jam contra Auguſtinum ponuntur diſpares, quod unus ſpecialiter adjutus ut tentationi reſiſtat, non item alius: cùm ponat Auguſtinus expreſſè ambos fuiſſe ſimiles animo & corpore*, ante illam viſionem & tentationem: ut etiamſi antè ſtatuerentur in vera juſtitia omninò pares, nihil tamen prohiberet,
142. quod ad hunc attinet Auguſtini locum, quin poſt viſionem & tentationem peculiaris eos gratia diſcerneret.

2. locus Auguſt. ex lib. 83. qq. q. 68.

Secundo citatur Aug. ex lib. 83. quæſt. quo loco dicit: ut venirent vocati ad cœnam, erat in libera eorum poteſtate, & ſi quiſquam ſibi tribuat, quod venit vocatus, non tamen poteſt ſibi tribuere, quod ſit
143. vocatus. Ubi reſpondemus ad priora verba, nec gratiam quidem efficacis vocationis impedire, quò minùs homo ſic vocatus habeat in libera ſua poteſtate venire, ut antè dictum eſt. Ad poſteriora dicimus, hanc eſſe Auguſtini diſtinctionem: quod quis ſit vocatus, ſolius Dei eſſe, quod autem vocatus venit, ſic eſſe Dei, ut tamen ſit

ſit etiam liberi arbitrii. Id quod veriſſimum eſt, etiamſi ſpecialis gratia præſtet homini, ut veniat. Quam gratiam eo loco non negat Augu. cùm ea poſſit ſub ipſa vocatione comprehendi: eſt enim vocatio quædam effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur, nec ſequatur quiſquam niſi vocatus: de qua dictum eſt in Apoc. c. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Alia verò communior, de qua ſcriptum eſt. Multi vocati, pauci verò electi. Quare etſi ſolius vocationis meminerit Auguſtinus, gratiam tamen illam efficaciter moventem, corque immutantem non excluſit. Nam cùm Paulum alibi dicit, illâ efficaciſſimâ vocatione converſum, cui dubium eſſe poteſt, quin eâ vocatione ſignificare voluerit, effectam eſſe in Paulo bonam voluntatem? Non igitur negat Auguſtinus vocationem effectricem bonæ voluntatis: quamvis ad Simpl. ſcribens, de tali vocatione diſſerendo magis quàm aſſerendo loquatur. Diſputare enim eum potiùs quàm affirmare atque reſolvere, illa indicant verba. Sed ſi vocatio iſta ita effectrix eſt bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur, quomodò verum erit. Multi vocati, pauci verò electi? An fortè illi qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei vo-

3. Locus de grat. & lib. arb. c. 5.

4. Locus l. 1. ad Simp. q. 2.

144.

 luntatem

luntatem? Et alia quæ ſequuntur, magis ſunt inveſtigantis & conantis proficere, quàm ejus qui ſe in ea quæſtione ſatis inſtructum eſſe demonſtret; multòque eſt conſultiùs (ut ſup. admonuimus) Auguſtinum poſteà in argumento exercitatiſſimum ſequi & attendere, quàm illius inquirentis adhuc & inveſtigantis verbis adeò velle mordicus inhærere. Eſt tamen verum, in illa ejus diſputatione viciſſe gratiam, quia (ut inter alia hoc repetamus) pro gratiæ efficacis expreſſione multùm illa verba faciunt, quando ſic ſcribit: Illud, inquit, neſcio quomodò dicatur, fruſtrà Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, & volumus; ad eam quippè miſericordiam pertinet, ut velimus: Deus enim eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Quare quod poſteà dicit: cujus miſeretur ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat; rectè ſic accipitur, ut id propterea dicatur ſcire, quia ſuâ vocatione facturus eſt, ut vocanti obtemperet. Quod item
145. dicit in eadem quæſtione: Ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo, nihil obſtat, quò minùs verum ſit de efficatrice illa bonæ voluntatis vocatione, quæ ſuo nunquam fruſtratur effectu. In qua procul dubio vocatione

tionę incluſa eſt illa gratiæ energia, quæ averſam & malam hominis voluntatem certò convertit & inflectit. Nihil ergo illos loci illi juvant, ubi D. Aug. ad cordis converſionem nihil aliud, quàm vocationem videatur requirere, cùm adeò manifeſtum ſit, ponere eum quandam vocationem, quâ hoc ipſum præſtetur efficaciter, ut ii quibus illam impertit, vocanti conſentiant Deo; qualis eſt omnium electorum vocatio, qui vocantur ſecundum propoſitum gratię Dei. Quod verò profertur ex l. de Spiritu & littera, ſolutionem habet ex fine capitis ejuſdem, ubi his utitur verbis: Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita; duo ſola occurrunt quæ reſpondere mihi placet. O altitudo divitiarum! Et numquid iniquitas eſt apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quęrat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptores. Ex quibus Auguſtini verbis colligitur, præter binas ſuaſiones aliquid eum gratiæ occultioris ad conſentiendum requirere, quæ gratia non modò ſuadeat, ſed etiam perſuadeat; quæ cur uni ſubminiſtretur non alteri, ad inſcrutabilia pertinet Dei judicia. Si autem paribus poſitis ſuaſionibus, unus ideò conſentit, quia ex ſeipſo ſic affectus eſt & inclinatus, ut ſuaſioni obediat, alter

5. locus cap. 34.

146.

vero non ſic affectus ſit ob majorem voluntatis alienationem, jam non eſt inſcrutabile, cur uni ſic ſuadeatur, ut perſuadeatur, alteri vero non. In promptu enim eſt ratio, ex diverſa hominum affectione petita. In qua certè cavendum ex præſumptione periculum eſt, ne dum rei imperſcrutabilis volumus reddere rationem, initium aliquod credulitatis bonæque voluntatis depravatis naturę viribus, ante gratiam Dei tribuamus. Quò tamen ſpectat & illud, quod ut variam iſtam hominum affectionem comprobet, undè credendi & non credendi naſcatur diverſitas, poſitâ foris & intùs ſuaſionum paritate, profert Ruardus de Euangelico ſemine ita variis ſparſo in locis, ut aliud ſecus viam, aliud in petroſa, aliud in ſpinas, aliud in terram bonam ceciderit. Hæc, inquit, illa eſt affectionum qualitatumque differentia, quâ fit, ut illud interiùs divinæ ſuaſionis ſemen aut fructum ferat, aut ſine fructu feratur. Quin & Profeſſores ipſi excitantem gratiam atque ſufficienter præparantem, nomine ſeminis intelligi volunt in parabola Math. 13. cùm tamen neque ſemen illud Euangelicum aliud quàm exteriorem verbi prædicationem inſinuet. Neque exiſtimandum ſit, quod gratia intùs animum ſufficienter præparans, terram inveniat bonam, ſed faciat, ut verbi

Epiſt. quadam ad Pet. de Soto nondum excuſa quibus ſimilia habet a. 7. fol. 303.

Dei ſemen cum fructu capiatur. Siquidem 147.
ex nobis & petroſa terra, & ſpinis aſpera
eſſe poſſumus, terra vero bona, niſi cæle-
leſti gratiâ prę paremur, eſſe non poſſumus.
Et quamquam alius alio pravior eſt, atque
ad ſuſcipiendum cum fructu divini verbi
ſemen ex ſeipſo minùs idoneus, nullus ta-
men ex ſeipſo ad verbi ſuſceptionem, niſi
gratia præparet, reperitur idoneus. Imo
tales fuerunt, inquit Proſper, qui ſunt at-
tracti, quales hi qui in duritia ſua ſunt
relicti, id eſt, ſimiliter affecti; ſed illis tri-
buit gratia ſtupenda quod voluit, iſtis tri-
buit veritas juſta quod debuit. Sic Proſper
lib. 2. de vocatione Gent. cap. 15. planè
docens, non eſſe diſcrimen ſumendum ex
diverſa diſpoſitione ſubjectorum, ſed ex
mera ordinatione divini conſilii, quâ ex
hominibus æquè duris, unum dignatur
mollire per gratiam, alium vero in ſimili
duritia relinquit per ſummam juſtitiam.

Poſteà finguntur argumentari Magiſtri 148.
noſtri: Si relinquitur homini liberum, ut
conſentiat vel non, ergo gratia Dei eſt pe-
diſſequa voluntatis. Quaſi Magiſtri NN.
non apertè doceant, liberum relinqui con-
ſentire, & non conſentire. Sic enim nos
Dei gratia conſentientes facit, ut tamen
non auferat diſſentiendi poteſtatem. Pe- 149.
diſſequa autem gratia ideo fieri per hos vi-

detur, quod magis ponatur gratia in poteſtate liberi arbitrii, quoad ejus uſum, quàm liberum arbitrium in poteſtate gratiæ, quoad ſubjectionem. Nec enim dominatur gratia, ſi non ſibi, quam vult, ſubjicit voluntatem, ſed ſubſervit prævifis hominum affectibus, ad eoſque ſe accommodat, non ſequi faciens quós libuerit, ſed dumtaxat vocans prout viderit homines ex præviis quibuſdam affectionibus ſecuturos. Hoc enim etiam Ruardus dicit, quem ſequuntur. Hęc, inquit, eſt differentia inter filios & alios; quod illi vocentur quomodò natos & diſpoſitos novit Deus, ut ſequantur. Præcedit ergo, ſecundum Ruardum, quædam ad ſequendum diſpoſitio bona, ad quam ſe divina vocatio attemperat, providente Deo, quod liberum arbitrium, prout affectum eſt, tali vocatione benè uti volet.

Art. 7. fol. 320.

Ruard. de grat. efficaci.

De præd. ſanct. c. 8.

Paulò poſt oſtendunt quomodò accipienda ſit Auguſtini ſententia, de gratia Dei quæ à nullo corde reſpuitur; & interpretantur eam de gratia excitante & vocante ſicut novit Deus hominem ſecuturum. Reſpondemus attendendum eſſe id quod pro ratione ſubjungit Auguſtinus. Ideò nimirùm à nullo duro corde reſpui, quia ad hoc ipſum detur, ut cordis durities penitùs auferatur. Si ergo idcirco Deus videt ſecuturum, quod tali vocatione efficiet ut

veniat,

veniat, iſta vocatio gratia eſt, illaque à nullo duro corde reſpuitur eò quòd auferat cordis duritiem & præſtet ſequendi obedientiam: ſin autem vocatio talis præſupponit præſcientiam veniendi; id quod horum requirit intentio, tunc non eſt iſta gratia quæ cordis duritiem aufert; eò quod exſpectet prævisam obedientiam, non præſtet. Prætereà duobus poſitis per omnia ſimilibus, atque in gratia excitante paribus, 150.
unus, ut ponunt ex Aug. de Civit. Dei, conſentit, alter non conſentit: atqui hæc excitans gratia, in eo qui non conſentit, non eſt gratia quæ à nullo duro corde reſpuitur; igitur nec in eo qui conſentit, eſt enim eadem omninò. Nec ſufficit addi præſcientiam de conſenſu: propterea quod hoc pacto etiam exterior vocatio dicenda eſſet gratia, quæ à nullo duro corde reſpuitur. Reſpondent prętereà ad c. 47. de gratia Chriſti apud Aug. ubi à Pelagio tria diſtinguuntur, velle, poſſe, & agere. Diciturque ille poſſe homini tribuiſſe, propter liberum arbitrium. Quaſi non ad illud ſuum poſſe Pelagius gratiæ auxilium adjunxerit, quod in lege poneret atque doctrina. Dicit enim apertiſſimè in eodem c. 4. Pelagius, quod poſſimus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat. Cùm ergo Pelagius tribueret homini

Lib. 12. c. 6.

Expenditur prof. reſponſ. ad locum.

Lib. de grat. Chriſti cap. 47.

Vide etiam lib. ejuſdem 3. 5. 6. 7. 9. 10.

mini poſſe, non ſolùm propter liberum arbitrium, verùm etiam propter gratiæ auxilium, quid eſt cur áb Auguſt. eſt repre-
151. henſus? Nimirùm quod eam ſolùm poneret gratiam, quæ poſſe homini tribueret, ſi vellet, non etiam quæ operaretur, ut vellet. Itaque quacunque in re ponatur gratia Dei, ſive in exteriori, ſive in interiori excitatione, modò ponatur ea dare tantùm poſſe ſi homo velit, non etiam operari, ut velit, in eandem Aug. reprehenſionem incurritur: imo vero & Apoſtoli, quem ad hoc ille citat dicentem, Deus qui operatur
Philip. 2. in nobis velle & perficere. Quid autem aliud illa iſtorum excitans gratia tribuere fingitur, quàm poſſe ſi velis, quandoquidem magna etiam & planè ſufficiens ponitur in iis qui nolunt. Si enim tum ſolùm intelligitur operari ut homo velit, quando per eam motus atque excitatus conſenſerit, tum non plus tribuitur hac in parte interiori vocationi, quàm exteriori: quæ rectè etiam dicitur operata in homine ut velit, quando per eam excitatus ille conſenſerit. Tenendum igitur eſt cum Aug. non poſſibilitatem ſolùm adjuvari, id eſt, non ſolùm adjuvari nos ut poſſimus, verùm etiam voluntatem & actionem, id eſt ulteriùs adjuvari nos, ut velimus & agamus: id quod neque per excitantem fit gratiam, qualem ponunt etiam

cum

cum mala voluntate conſiſtere: ea enim poſſe tantùm adjuvat, non etiam ulteriùs velle facit: neque etiam per illud, quod volunt, concomitans auxilium, rectè fieri intelligitur, cùm hoc adjutorium de quo Aug. loquitur, velit ipſe eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum. Ex quibus aliiſque ſup. dictis apparet, non immeritò fuiſſe à nobis reprehenſam aſſertionem 10. quæ habebat. Aug. ubicumque dicit nos non tantùm egere gratiâ, quâ poſſimus, ſed etiam quâ faciamus, intelligendus eſt de concomitante concurſu ſup. dicto, quanquam & ipſa Apologia aliquam hîc correctionem adhibere videatur, dicens, magis eſſe ex mente Aug. ut gratia quâ poſſimus, ſit liberum arbitrium, gratia autem quâ faciamus, ſit gratia habitualis, excitatio, vocatio, protectio, & concurſus. At neque hoc nos ex mente Aug. eſſe cenſemus. Siquidem præter liberum arbitrium agnovit ad poſſe pertinere legem atque doctrinam, perque iſta poſſibilitatem adjuvari ad benefaciendum, Pelagio lubens ipſe conceſſit. *Ad Apol. aſſer. 10.*

Quod autem adjungitur de habituali gratia, cui non manifeſtum eſt, quin per illam poſſe tantummodo tribuatur? Nam & primis ante lapſum hominibus gratia habitualis non defuit, quibus docet Aug. gratiam datam eſſe tantùm, quâ poſſent ſi vellent, non 152.

autem Deum in illis operatum ut vellent. Hinc B. Apoſtolus de iis loquens, qui jam erant habituum infuſione juſtificati, non dicit, Deus eſt qui operatus eſt in nobis velle ſemel infundendo habitum; ſed oſtendens,. non ſufficere, quod ſemel datum eſt: Deus eſt, inquit, qui operatur velle. Indè enim veteres Patres, per juſtificantes habitus poſſe tantùm dari conſiderantes, non continuò ipſum facere (præſertim in hac corruptione & imbecillitate naturæ) definierunt gratiam Dei ad ſingulos actus non

De excit. datam, ſed dari. Ad excitationem vero quod attinet, non neceſſe eſt longè repeti probationem. Fatetur hîc Apologia, per liberum arbitrium ſufficienter excitatum & præparatum, propriè nos dici poſſe. Igitur excitans gratia, & ſufficienter etiam ſecundum ipſos præparans, propriè non tribuit niſi poſſe, præſertim cùm (ſicut ſup. oſtenſum) ponatur etiam in his qui adhuc nolunt, neque conſentiunt. Additur & pro-

De protect. tectio. Sed nec illa plus tribuit, quàm poſ-

De concurſu concomitante. ſe. Supereſt concurſus, quem ipſi non diffitentur non pertinere ad ſpecialem Chriſti gratiam, quam nobis Script. commendant. Atqui gratia Chriſti eſt, eaque ſpecialis, de qua Script. & Aug. cont. Pelag. docent, quod non tantùm poſſe tribuat; ſed etiam velle & agere. Veterem autem il-

lam

lam ſententiam Patrum, quam & ipſe Pelagius in Palæſt. Synodo ne damnaretur, confiteri coactus eſt, & Aug. epiſt. 107. ad Catholicam fidem pertinere judicavit (gratiam Dei non ſolùm per ſingula momenta, verùm etiam ad ſingulos actus dari) velle interpretari de concurſu ſupernaturali, alienum certè eſt ab Auguſtini mente, qui ſententiam illam explicans, cauſam dandæ ad ſingulos actus gratię repetit ex corruptione naturæ; quemadmodum videre eſt in epiſtola memorata. Ille autem concurſus etiam Angelorum naturæ eſt neceſſarius. Deindè ad ejuſdem gratiæ ſignificationem accommodat illud Pſ. 67. Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ. Quo certè minimè concurſus ille indicatur. Denique concurſus hujus nullam ſignificationem reliquit; quem non ignorabat ad creationis, non reparationis pertinere beneficium. Gratia quoque iſta eſt quæ petitur & à juſtificatis, quando dicitur, fiat voluntas tua, &, ne nos inducas in tentationem. Item eâ præcatione, quæ aſſiduè frequentatur in Eccleſiis; Deus in adjutorium meum intende, &, Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, Domine non morêris: cùm non ſit Eccleſia de illo concurſu ſollicita, quem ſcit paratum eſſe atque ex 1. inſtitutione debitum benè agere volentibus. Neque

que enim ſic eſt inſtituta natura, vel hominum, vel Angelorum, ut abſque hoc concurſu poſſet quidquam vel cogitare boni vel agere. Proindè nec S. Hieron. vel de habitu, vel de hoc concurſu loquitur, cum in
154. epiſt. ad Cteſiphont. ad ſingulos actus Dei requirit auxilium, dicens inter cæteras ſemper largitor, ſemperque donator eſt, non mihi ſufficit quod ſemel donavit, niſi ſemper donaverit: peto, ut accipiam, & cùm accepero, rursùs peto.

1. 2. q. 109. a. 8. Sed neque S. Tho. in ſumma, ubi præter infuſum gratiæ habitum, requirit ad ſingulos actus Dei motionem, hunc concurſum intellexit nomine motionis; cum ſicuti Auguſtinus, cauſam neceſſariæ hujus ad ſingulos actus gratiæ repetat ex imbecillitate voluntatis humanæ: concurſus autem ille etiam fortiſſimo ante peccatum homini neceſſarius erat. Addunt Profeſſores excitationes, ſed neque eas ad ſingula opera dari volunt: ut qui putent crebras ſufficere, & fatentur excitationibus dari propriè poſſe, non agere, cùm gratia quæ ad ſingulos actus datur, ea ſit gratia, quæ non ſolùm poſſe donat, ſed etiam agere. Negaſſe porro Pelagium concurſum, vel hunc ſupernatura-
155. lem vel illum naturalem iterùm dicimus, nobis non videri, neque id Auguſtinus inter ejus errata numeravit, ubi ex profeſſo

Pelagii

Pelagii hęreſim commemorat. Sed neque metuebat Pelagius, quia admodum id apertum erat, ne tali concurſu liberum frangeretur arbitrium. Neque nos ſoli ſumus, qui talem concurſum Pelagium non ſuſtuliſſe putemus: In eadem opinione fuit etiam Ruardus, cujus verba ſunt: Concedere, quod ſit poſſe quoddam ad bonum in eo, qui nondum facit abſque nova gratia, non damnat Aug. in Pelagianis; quamvis tamen verum ſit, quod ſine Dei cooperatione, ut cauſa gratiarum univerſali, hâc facultate uti non valemus; quod nec Pelagius unquam negavit. Et iterùm: De concurſu, inquit, nulla eſt quæſtio, cùm nec Pelagius generalis hujus auxilii concurſum negaverit. Sic ſenſit & Gaſpar Caſſanus Conimb. qui Trid. Conc. interfuit l. 1. de quadripartita juſt. Pelagius, inquit, haud quaquam negabat generalem Dei influentiam neceſſariam omnibus cauſis ſecundis ad omnes & ſingulos effectus earum, & ad gratiam creationis pertinentem; ſed putans generalem ejuſmodi influentiam ſufficere, negabat indigere nos ſpeciali auxilio gratię Chriſti, ad parandum uſum noſtrarum naturalium potentiarum, moralem, deliberatum, virtuoſum, vel non malum, intelligendo, volendo, operando. Et rurſus: Nunquid negavit Pelagius, inquit, generalem influxum eſſe neceſſarium ho-

Ruardus in inchoata reſpon. ad epiſt. Petri de Soto, impreſſa quidem, ſed ab auctore ſuppreſſa.

Gaſpar Caſſanus lib. 1. de quadripar., juſtitia cap. 32.

Cap. 63.

hominibus ad benè operandum? Non ſcitur hactenùs, nec creditur de ipſo: non enim ſic ſapere potuit, niſi priùs deſiperet, quomodo poſſit operari cauſa 2. ſine concurſu cauſæ 1. Sic illi judicarunt, nec magni faciunt, quod aliter Cunerus ſenſerit, quem fefellit non ſatis diligenter inſpecta D. Hieron. lectio. Non enim ſignificat, Pelagium concurſum supremæ cauſę negaſſe ad ea quæ faciamus, ſed directionem & gubernationem Dei per ſingulos actus noſtros, nobis eſſe neceſſariam; qualem directionem petit Eccleſia, dùm dicit, Dirigere & ſanctificare, regere, & gubernare dignare Domine Deus, Rex Cæli & terræ, hodiè corda, & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros, in lege tua, & & in operibus mandatorum tuorum. Hanc Pelagiani gubernationem Dei non ferebant, per ſuperbiam volentes à ſeipſis regi, non à Domino, & hoc propter libertatem. Ita enim, inquit S. Hieronymus, gratiam ponunt, ut non per ſingula opera ejus nitamur & regamur auxilio.

De grat. Chriſti c. 9. & 10.

156.

Et iterùm: Injuriam tibi fieri putas & deſtrui arbitrii libertatem, ſi ad Deum ſemper authorem recurras, ſi ex illius pendeas voluntate, & dicas, Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. Undè & audes linguâ proferre

temeraria, unumquemque arbitrio ſuo regi. Si ſuo arbitrio regitur, ubi eſt auxilium Dei? Si Chriſto rectore non indiget, quomodo ſcribit Hieremias: non eſt in homine via ejus, & à Domino greſſus hominis dirigentur? Hinc etiam objicit Pelagio illud Jac. Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras proficiſcemur in hanc Civitatem. Quę Apoſtoli objurgatio non habet reprehenſionem propter ignorantiam concurſus atque influentiæ, ſed propter ſuperbiam & ignorantiam divinæ gubernationis, quâ dies actuſque noſtros diſponit & regit. Unde ait; pro eo quod debeatis dicere, Si Dominus voluerit & vixerimus. Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris, quaſi videlicet ſuperiorem Dominum non habentes, à cujus nutu per ſingula debeatis vitæ veſtræ momenta pendere. Multum enim intereſt inter gubernationem, & concurſum. Nam concurſus comitatur & adeſt paratus agere volenti, ideoque palam eſt, nullum inde libertati noſtræ fieri præjudicium; gubernatio vero atque directio præeſt ad agendum, poteſtque eam ſuperbus metuere, ne ſibi adimat libertatem. Rurſus, comitatur concurſus etiam 157.
in actibus non bonis: at his quæ male facimus, non à Domino, ſed à nobis ipſis

O guber-

gubernamur. Hinc qui benè humiles ſunt, ii à Deo per ſingula regi cupiunt, ne propriæ permiſſi gubernationi, deficiant. Inde ille gratulatur: Dominus regit me & nihil mihi deerit. Auguſtini verò locus de Corr. & gratia c. 12. Per excitationes quæ tantum poſſe tribuunt, non agunt indeclinabiliter, aut per protectiones, non ſufficienter explicatur: neque tamen indeclinabiliter aguntur ſancti, quia non poſſunt ſimpliciter declinare, ſed quia cum tali directione Dei, & agente ipſos Spiritu, non conſiſtat ut declinent, quamvis ex infirmitate eorum propria nimirùm, ſit lapſus facilis. Quocirca non putamus ad hæreticorum expoſitiones eſſe rejiciendum (quod Apologia facit) ſi dicatur Deus efficaciter determinare voluntates hominum, ad ejus præcepta facienda, quo ſic impleatur, ut promiſſum eſt: faciam ut in præceptis meis ambuletis. Quippe voluntas ad faciendum nondum determinata, nondum facit. Si igitur gratia novi Teſtamenti facit ut faciamus, profectò determinat, idque efficaciter. Hæreſis vero in eo damnanda eſt, quod ita gratiæ voluntatis tribuat determinationem, ut eam neget ſeipſam determinare, tanquam quæ merè paſſivè ſe habeat, aut ex gratiæ determinatione neceſſa-

neceſſarium ſubeat motum, liberâ electione ſublatâ, Quod autem ad diluendam 158.
objectionem de Paulo & Magdalena, aliiſque nonnullis dicitur, non eſſe propterea magis meritorium, quia magis ſit liberum, prorſus non ſatisfacit. Neque enim prætendit objectio, quod reſponſio ſonat, meriti rationem ex libertate deſumi; ſed quoniam meriti ratio ſine libertate non conſtet, vult actionem non eſſe meritoriam, quæ libertate privetur. Et quia præſupponunt aſſertiones, cum Apologia, efficacem excitationem, quæ voluntatem infallibiliter determinet, eſſe libertati actionis contrariam, ſequitur Paulum, Magdalenam, & alios non libere fuiſſe converſos, & ideo nec meritoriè; ſi forte ſunt, ut ajunt, tantâ efficacitate converſi. Aut ergo talis gratia, voluntatem infallibiliter determinans, non tollit agendi libertatem, aut ſi tollit, nullo modo fuerit in Pauli converſione, aut Magdalenæ ponenda. Et ideo forte hoc in Apologia temperantes, ponunt hanc diſtinctionem, ut alia ſit gratia ſufficienter præparans, cui facile, alia cui difficillimè reſiſti poſſit: tanquam fuerit in Paulo gratia, non jam efficaciter & infallibiliter determinans, uti prius poni

 vide-

videbatur; ſed tamen talis, cui ille difficilè potuerit reſiſtere. Quæ cum dicunt, omnem gratiam quantumvis efficacem, in liberi arbitrii ſic ponunt poteſtate, ut fruſtrà data ſit, ſi homo noluerit acceptare. In quo ſane Auguſtinum non ſequuntur, nec in ipſa quidem 2. ad Simp. quæſt. ubi expreſſe dicit, non poſſe effectum miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtrà ille miſereatur, ſi homo nolit.

De perſeverantiæ dono.

159. QUod poſtea conantur diſcrimen facere inter hominem integrum, & lapſum, per excitationes, & protectiones, atque iſto modo Auguſtini doctrinam eludere, duplici de cauſa apparet eſſe caducum. Primùm quia excitationes & protectiones, ut ipſi etiam ſup. ſignificant, propriè tribuunt tantùm poſſe: ſiquidem cum excitatione etiam ſufficienti, putant conſiſtere, ut homo nolit. Atque Auguſtin. apertè docet, gratiam lapſi à gratia hominis integri eo differre, quod illa tribuebat poſſe, ista autem non ſolùm poſſe, verùm etiam velle & perſeverare. Deinde neque primis hominibus ante lapſum quotidianæ excitationes

De cor. & grat. c. 11. & 21.

defu

defuturæ erant, quibus ad glorificandum Deum excitarentur. Siquidem ad eam utilitatem atque uſum excitandi, fuerat mundi hujus creatura diſpoſita: docetque B. Auguſtinus nec à rectis quidem hominibus: & gratiâ virtutum inſtructis, potuiſſe teneri viam juſtitiæ, niſi participatione incommutabilis boni, divinum adjutorium præberetur; quod adjutorium poſtea comparat alimentis, quibus humana recreantur corpora. Ne quiſquam 160.
fortè hoc, quod dicit, ad cooperationem divinæ providentiæ ſeu concurſum ſupernaturalem referendum putet. Cùm ergo docet Auguſtinus, Adamo fuiſſe datum ut perſeverare poſſet, ſi vellet, non autem ut vellet; lapſis vero etiam dari, ut velint perſeverare, atque etiam perſeverent, aliam ſpectarit oportet, quàm hîc Apologia ſignificat, differentiæ rationem. Ex quibus etiam patet reſponſio ad Apologiam aſſertionis 22. quâ à nobis illa reprehenſa fuit aſſertio, quâ dicebat, In ſtatu innocentiæ ſufficiebat homini ad ſalutem gratia, quâ poſſet perſeverare, ſi vellet, ergo & nunc. Id quod nobis directè contra Aug. dici videbatur. Neque quin ita ſit, ſeſe hîc Apologia expedit, cùm ea ipſa quæ pertinere dicit ad lapſi gratiam, excitationes & protectiones,

Cap. 12.

Ad Apol. aſſert. 22.

aliud & propriè tribuant, quàm poſſe. Si enim ipſa gratia habitualis, cum qua non conſiſtit mala & averſa voluntas, tantum tribuebat homini poſſe, quanto magis excitatio, quæ etſi ſit ſufficiens, tamen conſiſtit cum eo, ut homo nolit id ad
Ad Apol. aſſer. 13. quod excitatur. Addemus hîc quoque ad Aſſertionis 13. Apologiam, non tam de nomine, quàm de re ipſa, nos ſollicitos;
161. propterea quod aſſertio præ ſe ferebat duplicem quemdam perſeverandi modum; unum paucorum, quo, ſicut Aug. ait, indeclinabiliter agerentur uſque in finem, quibus, videl. daretur per gratiam ipſum uſque in finem perſeverare; alium vero communiorem, quo detur perſeverare poſſe, ſi velint: ut autem uelint atque perſeverent, id libero perficiatur arbitrio: quæ perſeverantiæ diſtinctio ex Catharini officina profecta, nobis viſa non eſt doctrinæ Auguſtini conſentanea; eo quod ſatis clarum ſit, priorem illum modum, quem cenſet Catharinus eſſe paucorum, ab Auguſtino fieri communem omnibus, qui uſque in finem in hac naturæ fragilitate perſeverant. Ad nomen autem quod attinet, non potuimus intelligere donum perſeverantiæ, niſi donum quod eſt per-
162. ſeverantia. Nam ſi intelligatur donum, quod datur ad perſeverandum, deinceps etiam

fides in electis recte dicetur eſſe donum perſeverantiæ.

De ſufficienti, quæ omnibus datur, gratia.

CAPUT XII.

Poſtquam explicatum eſt, quæ propriè ſit Chriſti gratia, quæ ad juſtè vivendum ſufficiat, non difficile eſt perſpicere, eane omnibus detur hominibus; an vero quibuſdam dumtaxat ad id peculiariter electis detur per miſericordiam indebitam, aliis verò negetur per juſtitiam. Si enim Chriſti gratia non ſolum pulſat cor, ſed etiam aperit, neque ſolum vocat expectans hominis obedientiam, verùm etiam cor durum & averſum ad obedientiam & executionem inflectit efficaciter, ſequitur iis qui pulſanti non aperiunt, & vocati etiam intrinſecus, non tamen obſequuntur nec veniunt atque obediunt, nondum eſſe gratiam ſubminiſtratam, quæ ad ipſorum converſionem ſalutemque ſufficiat. Neque ſat eſt, ſi quis dixerit, ſufficiebat quod datum eſt ad inchoandum ſaltem converſionem, ſi eo uti homo voluiſſet. Pri- 163.

Ad Apol. aſſer. 2. & reliquas eodem pertin.

mùm, quòd hoc ipſum non de interiore modò pulſu, verùm etiam exteriore vocatione, verè dixerimus, ad inchoandam fidem potuiſſe ſufficere, ſi bene illâ uti
164. homo ſic vocatus voluiſſet. Deinde quia gratia Chriſti non eſt a bono uſu ſejuncta, ſed facit hominem bene uti oblatis ſalutis occaſionibus: ut vel ex eo colligi poſſit, nondum eſſe homini ad incipiendum ſufficientem gratiam, quod bonum uſum eorum, quæ ad ſalutem vocant, non habeat. Ut igitur taceamus, probari non poſſe omnibus adultis immitti, ſemperque à principio in omni gente, atque natione immiſſas divinitus eſſe motiones, quibus intrinſecus excitarentur ad ſui converſionem; tamen neque illuminatio dumtaxat ſuaſoria, neque metus ſeu terror, etiam pœnarum poſt hanc vitam luendarum, incuſſus, ſufficit ad inchoan-
165. dum converſionem, ſed præterea gratiâ opus eſt, quæ cor ſic motum atque perculſum inflectat atque emolliat: videlicet illa accedat operatio neceſſe eſt, quæ petitur à divino illo ſanctoque Spiritu cum dicitur, *Riga quod eſt aridum, flecte quod eſt rigidum, ſana quod eſt ſaucium, rege quod eſt devium.* Etenim quicquid intus eſt, quod ſuadet tantum, & non perſuadet, allicit, non adducit, terrore concutit, non amo-

re

re afficit. Quomodo & hortamenta, & exempla, & terriculamenta, quæ foris adhibentur, ea omnia ad legem pertinent, atque doctrinam; de qua dici non poteſt, quod cuiquam ad inchoandam converſionem, ingrediendamque ſalutis viam ſufficiat. Imò, & interiores quaſdam allocutiones Auguſt. annumerat exterioribus, quatenus videlicet cor adhuc pulſant, atque ad aperiendum ſolæ non ſufficiunt. *Spiritus*, inquit, *Sanctus operatur intrinſecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinſecus.* Alioqui etiamſi Deus ipſe utens creaturâ ſibi ſubditâ, aliquâ ſpecie humanâ ſenſus alloquatur humanos, ſive iſtos corporis, ſive illos, quos iſtis ſimillimos habemus in ſomnis, nec interiore gratiâ mentem agat, regatque, nihil prodeſt homini omnis prædicatio veritatis. *Lib. 15. de Civit. c. 6.*

Porrò hanc interiorem gratiam, quæ mentem agit regitque, non omnibus paſſim ingeri, docet verbis conſequentibus: *Facit autem hoc Deus*, inquit, *à vaſis miſericordiæ, iræ vaſa diſcernens diſpenſatione, quam ipſe novit, multum occultâ; ſed tamen juſtâ.* Apertè vero Epiſtola 107. Inter eas ſententias quas ſe ſcire dicit ad Catholicam fidem pertinere, quarto loco ponit & hanc gratiam Dei non omnibus hominibus dari. Cui 166.

quidem fidei præjudicium generant non parvum, qui non dubitant apertè profiteri, unicuique homini ſufficientem à Deo gratiam dari, quâ exurgant à peccatis, ſalutemque æternam conſequantur. Ac ne cui forte placeret, omnibus quidem hanc offerri gratiam, ſed ideo quoſdam non accipere, nec habere, quòd eam oblatam propriâ reſpuant voluntate, diſplicere id ſibi reſponſum in eadem Epiſt. docet Auguſt. cum ſic ait: *Quomodo dicitur omnes eam fuiſſe accepturos, ſi non illi quibus non datur eam ſuâ voluntate reſpuerent, cum multis non detur parvulis, & ſine illa plærique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repente antequam detur expiret, pro quo ut acciperet, currebatur?* Declarat his verbis Auguſtin. id quod antè dixerat, ad fidem Catholicam pertinere, non ſic accipiendum, ut æſtimetur omnibus quidem offerri gratiam ex parte Dei, ſed ideo non dari, quia reſpuatur oblata. Verùm præveniendo etiam contrariæ voluntatis prævişionem, ideo non
167. dari, quia Deus nolit dari; idque ipſum ſine caligine manifeſtari in parvulis: quos propterea produxit in exemplum, quòd de iis, quin ita ſe res habeat, controverſiam eſſe poſſe non putaret. Nam

Nam & quod pertinet ad homines adul- 168.
tos, ſi omnibus quidem ſuam gratiam dare paratus eſt, ſemperque fuit, ſed ideo non dedit tam multis, vel ante Chriſtum natum, vel poſt ejuſdem adventum hominibus ratione utentibus, quòd eos videbat reſpuituros, non eſt ſecundum Auguſtinum occulta & admirabilis gratiæ diſpenſatio, quâ vaſa miſericordiæ à vaſis iræ diſcernit, non eſt inſcrutabile Dei judicium, cur tam multos aliquando populos hâc ſuâ gratiâ non donarit, ad quam largiendam ſemper dicitur fuiſſe paratus; ſed ad accipiendam homo imparatus. Unde etiam colligendum relinquitur, quod ii qui gratiam acceperunt, ideo acceperint, quòd eam amplecti fuerint parati. Si enim illam Deus effundere in omnibus paratus eſt, ac quantum in ipſo eſt, ingerit omnibus, cur eam quidam habeant, alii non habeant, ex parte humanarum voluntatum erit illa, quam diximus, differentiæ cauſa repetenda, ſequiturque & ſecundum meritum malæ voluntatis negari, quibus negatur, & ſecundum meritum bonę & paratæ voluntatis dari, quibus datur.
Rurſumque, ſi dare paratus eſt, & ideo 169.
ſolum non dat, quod omnibus obſiſtat mala voluntas, igitur gratia non initium bonæ voluntatis facit, ſed expectat. Id quod

Cap. 29. & 30. quod B. Fulgentius graviſſimè, cum à quibuſdam diceretur, reprehendit atque refutavit prolixiùs, in eo Libro, quem ſcripſit de incarnatione & gratia D.N.I.C. Ad hæc, ſi rectè vereque dicitur, Deum

170. ſuam omnibus gratiam conferre atque ingerere, nihilque aliud remorari, quo minus eam omnes habeant, quàm quòd eam non omnes acceptent, tunc non Deus orandus, ut ſuam dignetur hominibus gratiam dare, ſed monendi orandique homines, ut eam oblatam velint accipere. Sed & ipſi, qui gratiam Dei omnibus paratam eſſe contendunt, viderint ſane, an non ſeipſos vehementer oppugnent. Ajunt enim, Deum non velle vocare omnes, eo modo, quo videt eos ſecuturos, idque cur nolit, pertinere ad inſcrutabilia judicia ejus, neque ex parte hominum ullam à nobis reddi poſſe differentiæ rationem. Cur igitur in hac vocatione, quâ ſic vocat hominem, ubi eum videt ſecuturum, gratiam ad exurgendum à peccatis abſolutè ſufficientem conſtituant, fateanturque Deum nolle hanc talem vocationem omnibus hominibus impertiri, ſequitur eum nolle omnibus dare gratiam, eam, quæ vel ad exurgendum à peccatis abſolutè ſufficiat? Quo loco ſi reſponderint, paratum quidem eſſe Deum hanc

omnibus

omnibus vocationem impertiri, ſed ideo nolle omnibus, quod non omnes quantum in ipſis eſt faciant, neque conantur ut ad eam perveniant; ſequitur, quod illi quibus hæc preſtatur vocatio, ſedulitate faciendi quod in ſe eſt, bonoq́ue & ſalutari conatu, eam ſibi conciliaverint atque meruerint. Unde ulterius conficitur, quod ea gratia, quæ propriè Chriſti gratia eſt, quæ videlicet obedire fidei, & ad Deum venire facit, ſecundum merita noſtra detur. Quòd ſi rurſum dixerint, hanc vocationem præcedere alia quædam excitantia Dei dona, quibus ſi homines bene uterentur, & ſi ea non reſpuerent, tum poſtea ſic vocarentur, ſicuti videt Deus eos ſecuturos; Quærimus illa dona priora omnibuſnè ſint Communia, An verò quibuſdam dumtaxat à Deo dentur? Si non dantur illa omnibus, etiam inde confirmatur, Deum non eſſe paratum omnibus ſuam gratiam elargiri, quæ ſatis ſit ad exurgendum. Et quidem non dari omnibus planè probabile eſt, cum tam multis 171.
tam diu negata fuiſſe conſtet exteriora adminicula prædicationis de uno Chriſto, ſine quo ſalus eſſe non poterat. Sine illa autem prædicatione, fruſtra adſunt interiores pulſus, & alia quæcumque moventia aut excitantia ad ſalutem. Sed ut 172.
om-

omnibus præſtita fuiſſe donemus omni tempore, nunquid per hoc effugient, gratiam fidei, & converſionis quę ſequitur, ſecundum merita noſtra dari? Non equidem videmus quî poſſint. Siquidem bonus ille donorum uſus, & conatus, qui congruentiæ merito non caret, proprius eſt, ſicuti fateri debebunt, humani arbitrii eorum qui bene utuntur. Cum enim illa interiora dona communia ſint bene maleque utentibus, quid eſt, quod in hac communione donorum boni uſus diſcrimen facit, niſi liberum hominis arbitrium? Nec enim iſtos gratia quæ communis eſt, ſed propria dumtaxat voluntas diſcernit. Sicut ergo contemptus ac reſpuitionis demeritum in iis, qui nondum inde proficiunt, ſolius eſt liberi arbitrii; ita boni uſus conatuſque meritum in aliis ſoli erit libero arbitrio aſſignandum. Sed ante diximus, non ſolum talia dona accipere, ſed etiam illis bene uti, ſpecialis eſſe gra-
173. tiæ Dei: quam gratiam illis, qui non bene utuntur, palam eſſe non dari. Denique ſi hæc eſt diſcriminis ratio ſaltem ordinaria, cur illa vocationis gratia non detur omnibus, ſed aliis detur, aliis negetur, relinquitur non eſſe inſcrutabile Dei judicium, cur non omnes ſic uocet, quomodo videt eos ſecuturos. Ordinariam di-

ximus

ximus rationem, propterea quod reſpondere poſſint, quibuſdam adeo duris, ut interiora quoque adminicula reſpuant, atque abjiciant, nihilominùs pro ſumma Dei miſericordia, tam efficacis repentè vocationis vim adhiberi, ut ſubito convertantur ad Dominum, ſuaque jugo ejus colla ſubmittant. Id autem cur præſtet aliquis adeò præfractis, præ aliis, ad inſcrutabilia Dei judicia pertinere. Verum hoc eſt, in paucis quibuſdam convertendis inſcrutabilitatem divinorum judiciorum allegare, quam veteres ad omnium electorum converſionem & fidem pertinere voluerunt. Hujus autem doctrinæ, quâ traditur, ſufficientem omnibus à Deo gratiam ingeri, Fauſtum quendam Gal- 174.
liarum Epiſcopum, poſt Auguſtini contra Pelagium diſputationes, fuiſſe reperimus Auctorem, qui Pelagii dogma ad hoc callide ſe inſectare præ ſe tulit, ut ſecuriùs Patrum eorum, qui Pelagianis ſe oppoſuerunt definita convelleret. Sic autem ſcribit: Nunc, inquit, veniendum *Lib. 1. de grat. & lib. arbit. c. 3.*
eſt ad illos, qui, dum gratiam aliis dari, aliis negari aſſerunt, munus gratiæ cum Pelagio perdiderunt. Quibus ille verbis quid aliud reprobare aggreditur, quàm quod Aug. inter 12. fidei Catholicæ recenſuit regulas, gratiam Dei non omnibus

bus hominibus dari ? Et rurſum C. 4. Cum dixerint, inquit, totum gratiæ Dei eſt, quis non ad tam reverendum nomen toto cordis inclinetur affectu? Sed cum reſponderimus, totum planè gratiæ eſt, ſed omnibus eam offert atque ingerit ad ſalutem omnium conditor & redemptor. Ad hæc illi longè à pietatis tramite recedentes, reſpondere præſumunt, non eam ſalvator omnibus dedit, quia nec pro omnibus mortuus eſt. Ecce ſtatim in ſecundis apparet gratiæ impugnator, qui in primis putabatur aſſertor. Hæc ille, aliaque eò ſpectantia quæ ſequuntur; quem nonnulli dum ſecuriùs legunt, tanquam pro-
175. batæ in Eccleſia doctrinæ Profeſſorem, & Catholicum per omnia tractatorem, hanc nobis ad poſteros de ſufficienti gratia ſententiam tranſmiſerunt, non ſine præjudicio traditæ à Patribus adverſus Pelagium de gratia Chriſti doctrinæ. Ideo enim Gelaſius Pontifex, & ut ſuprà meminimus, in conſilio 70. Epiſcoporum, Opuſcula, inquit, Fauſti Epiſcopi Regien. Galliarum Apocrypha. Hunc autem Fauſtum cujus de libellis duobus agimus, & apud Regien. Galliæ Epiſcopatu functum, & de gratia ac libero arbitrio ſcripſiſſe, teſtis eſt Gennadius cujus de illo teſtimonium memoratis libellis

Lib. de Script. Ec.

præ-

præfigitur; ut dubium non ſit, duos hoſce libellos pro apocryphis habendos, Catholiciſque vitandos, ſicut habent expreſſa in dicto decreto verba Gelaſii. Sed ex illius Fauſti non fauſtis, ut putamus, principiis, qui hunc doctrinæ tramitem putaverunt ſequendum, cito ſunt in diverſa diſtracti, ut vel ſic opinionis imbecillitatem oſtenderent. Quidam enim, 176.
Deum æqualiter omnibus impartiri gratiam, quantum in ipſo ſitum eſt, aſſeruerunt, alii inæqualiter. Rurſum alii quibuſcumque etiam obduratiſſimis, & iis qui deſerti eſſe dicuntur, gratiam Dei ſemper & ubique præſto adeſſe voluerunt. Alii verò tam generalem influxum, quàm ſpecialė auxilium exiſtimarunt deeſſe unquam nemini, niſi vel indurato, qualis Pharao fuit, vel in ſenſum reprobum tradito, de cujuſmodi loquitur Paulus ad Rom. v. cap. De quibus utriſque ait Roffen. art. 36. contra Lutherum: Certum eſt quod auxilio Dei ſpeciali fuerint deſtituti. Has vero ſententias, non *Art. 7. fol. 325.*
leviter inter ſe pugnantes, non dubitat dicere Ruardus, doctrinæ B. Auguſtini non eſſe conſentaneas, neque etiam ex ſcriptura poſſe probari. Tertii ſunt, qui putent eſſe credendum, quod Deus ex abundantia miſericordiæ ſuæ, omnium & ſin-

gulorum corda aliquando ſaltem ſic moveat, ut credere poſſint, & converti; idque cenſent inſinuari ab Auguſtino quibuſdam locis, quibus ut non omnino reſiſtimus, ita etiam exiſtimamus hoc probari non poſſe, vel experientiâ generali omnium, ſicut de omnibus aſſeritur, vel ratione, vel ejuſmodi quæ merito commovere debeat aucthoritate. Solâ quippè nititur præſumptione miſericordiæ Dei. Addimus & hoc, qualecumque ſubſidium, quod aliquando ſubminiſtrari dicitur in iis, qui neque credunt, neque convertuntur ad Dominum, non fuiſſe ſufficiens ad fidem aut converſionem.

177. Quippè gratia ad converſionem ſufficiens ipſa convertit, quæ verò non convertit, non ſufficit. Quod vel ex eo ſatis elucet, quia pro quolibet non converſo orandum eſſe putat Eccleſia, ut convertatur. Quid autem orando petit, niſi gratiam, quâ fiat, non ſolùm ut converti poſſit, ſed etiam ut convertatur. Ea eſt gratia quam petimus deprecantes, Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis.

Diſſolvuntur

Diſſolvuntur quædam argumenta, quibus probari videtur, dari à Deo omnibus ſufficientem gratiam.

SUpereſt ut argumenta excutiantur, quibus potiſſimùm niti videtur opinio de gratiæ circa omnes homines perpetua ſufficientia. Primum eſt, ſi non præſto ſemper adſit homini gratia ſufficiens ad ejus converſionem, eveniet ut aliquando non poſſit converti: & ſi nunquam adſit ſufficiens, ut converti poſſit, conſequetur rurſum ut in ipſo tempore, quo erit ſufficienti gratiâ deſtitutus non habeat liberum arbitrium, ſaltem ad bonum; ſed ſicuti Diabolus, tantùm ad malum. Reſpondemus primùm: ut homo poſſit converti non requiri ut habeat gratiam ſufficientem eo ipſo tempore quo poſſe dicitur, ſed ſatis eſſe ſi habere illam, & obtinere, quæ ſufficiat, poſſit. Quomodo homo dicitur poſſe manducare panem etiam cum panem non habet, neque etiam quicquam, unde ſibi panem comparet: ut etiam dicitur videre poſſe, qui non habet lucem, ſed in tetrum carcerem conjectus eſt; quamvis ſine luce viſurus ſit nunquam. Et attendendum, cùm dicitur neminem poſſe converti ſine

gratia, illud, *ſine gratia*, vel ad poſſe, vel ad converti adjungi vel referri; quamvis poſterius longè ſit uſitatius.

178. Siquidem communiter dicimus, neminem converti poſſe ſine gratia Dei, eo quod converſio ſine gratia nunquam ſit, licet gratiâ quoque abſente non deſit ipſum poſſe converti. Quemadmodum nemo poteſt credere ſine fide, etſi credendi facultas eis inſit, qui non credunt. Notandum interim illud quoque, potentia credendi vel convertendi ſeſe, æſtimari dupliciter; ſemel ex ipſa liberi arbitrii utramque in partem flexibili facultate, quomodo eſt potentia in homine gratiâ deſtituto, ſemel ex præſentibus viribus ſatis efficacibus ad fidem, & converſionem; juxta quem modum quidam dicuntur, non poſſe credere aut ſequi

Ioannis 13. 15. 12. Dominum, ſicut dictum eſt Petro, non potes me ſequi modo, & aliis, quomodo vos poteſtis credere qui gloriam ab invicem accipitis? Et iterum, non poterant credere, quia dixit Iſaias, excœca

180. cor populi hujus. Poterant ergo illi credere per flexibilem quidem liberi arbitrii in bonum facultatem, non poterant autem per eas vires, ſeu affectus quos habebant in præſentia. Poterant per remotam, ut dici conſuevit, potentiam; non poterant per

per propinquam. Illa de natura ſurgit, hęc 181.
competit per gratiam; ideoque etiam apud veteres uterque ſermo reperitur. Nam & Auguſtinus fidem in noſtra poteſtate eſſe docet lib. de ſpiritu & littera c. 30. & tamen Celeſtinus Pontifex, in Epiſt. quam pro Hilario, & Proſpero ſcripſit, dicit in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & potentiam perdidiſſe. Rurſus Fulgentius docet hominem naturaliter poſſe credere, in eo quod naturam habet credulitatis fideique capacem; & tamen gratiæ dono credendi virtutem recipere, quam amiſit. Eſt ergo quoddam poſſe per naturam, omni etiam gratiâ deſtitutam, propter liberum arbitrium, durante hâc vitâ, in utramque partem flexibile: & eſt poſſe per gratiam, quando jam naturæ libertas quibuſdam divinis adminiculis adjuvatur. Sed & hoc bipartitum eſſe, ſciendum eſt. Nam & quoddam eſt poſſe, quod nondum ad agendum ſufficiat: quomodo illum dicimus poſſe credere in Chriſtum, qui accipit de Chriſto prædicationem, eam præſertim, quæ ſit ad faciendum fidem idonea; cujus comparatione dicitur non poſſe in Chriſtum credere is, cui nihil omnino de Chriſto

Cap. 4.

182.

De grat. Chriſti c. 22. & 23.

prædicatur. Aliud autem eſt poſſe, in 183.
quo

quo tam magnæ inſunt vires per ſufficientem gratiæ præparationem, ut ſatis ſit ad agendum. Per quam quidem gratiam, non jam ſolum ipſum poſſe, verùm etiam agere adjuvatur. Nam Pelagius facilè dabat quidem, ipſum adjuvari in nobis poſſe, id eſt, gratiam dari ut poſſemus; quam in lege ponebat atque doctrina, non autem adjutorium gratiæ eſſe neceſſarium, ut faceremus. Porro ſi excuſabilis eſſet homo in eo quod non convertitur, quia non habet ad hoc in præſentia ſufficiens auxilium, ſaltem ad incipiendum, ſequeretur, poni oportere, non aliquando ſolùm ſic moveri oportere hominem à Deo, ut converti poſſit, ſed ſemper ut converti ſemper poſſit; quia alioqui frequenter infidelis erit in ſua impietate excuſabilis, tanquam qui converti non poſſit, eo quod tunc non moveatur à Deo, ut poſſit. Itaque relictâ Ruardi opinione, veniendum erit in alteram D. à Soto, quam tamen apertè negat Ruardus, Doctrinæ Auguſtini eſſe conſentaneam. Alia duo ſunt Fauſti argumenta. Unum, quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Alterum, quia ſit Chriſtus omnium Redemptor. Quorum prius diſſolvit Auguſtinus locis aliquot, varias Apoſtolicæ ſententiæ expoſitiones

Apud Aug. de gratia Chriſti c. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10.

184.

De nat. & grat. c. 15. & 18. art. 7. fol. 325.

Apolog. aſſert. 6.

tiones proferens, quas ſolidiores melioreſque arbitramur, quàm ut debeant refelli, & ſicut Apologia indicat, pro bene refutatis haberi: præſertim cùm eas Doctores Eccleſiæ poſteriores probaverint Proſper, Fulgentius, Thomas, & alii. Expoſitionem autem de voluntate antecedente, ſicut à Divo Thoma prolata eſt, non judicamus eſſe improbandam. Alterum argumentum à Proſpero ſolutum eſt. Ubi notandum, quod ait proprietatem redemptionis eſſe penes eos qui eruuntur de Diaboli poteſtate. Si ergo de proprietate redemptionis agitur, rectè dicitur eſſe Redemptor omnium, ſicut exponit Auguſtinus; quod omnes velit fieri ſalvos, quia ex omni hominum genere. Si autem ad pretii ſufficientiam reſpicitur, Redemptor eſt omnium, non quod per Chriſti pretium detur omnibus ſufficiens auxilium, vel ad inchoandam ſalutem; ſed quod, pro ratione ſtatus vitæ hujus, poſſint omnes per Chriſtum obtinere ſufficiens auxilium & omnes per Chriſtum invocantes, Deus, ad propriam ipſorum ſalutem, exaudire paratus ſit. Atque hoc pacto non ſufficit ſolùm pretium, verùm etiam omnibus expoſitum eſt & paratum, ut per id ſalutem conſequantur: Omnis enim qui invocaverit nomen Domini,

Ad Apologiam aſſert. 7.

185.

ſalvus

ſalvus erit. Quod autem dicitur ad Cen-
Ad Apol. aſſert. 3. ſuram aſſertionis 3. etiamſi id quod actu habent, non ſufficiat, tamen id quod poſſunt impetrare eſt ſufficiens, omnino amplectimur: ſed hoc quàm diſtat ab illo quod Cenſura notaverat, omnibus dari
186. ſufficiens auxilium! Aliud enim eſt omnibus dari, aliud poſſe impetrari ab omnibus. Imò quia multis eſt adhuc impetrandum, jure reprehendi videtur, ſi quis dixerit, omnibus dari, vel datum. Ad Leonem
Ad Apol. aſſert. 19. Ser. de paſſ. 16. citatum Apologiæ aſſert. 19. qui dicit, juſtè inſtat præcepto, qui prævenit, aut ut ipſe habet, præcurrit auxilio. Reſpondemus,
Serm. 5. de quadrag. etiam ab eodem Leone dici, quod Deus ideo dat præceptum, ut excitet deſiderium, & præſtet auxilium. Unde intelligitur, quod præcurrit quidem auxilium, ſed generale & externum, in exemplo, & Sacramento, ſicut præcedentia in eodem illo 16. Serm. ſignificant Leonis verba.
187. Sequitur verò donationem præcepti auxilium ſpeciale circa eos, qui excitati præcepto, ipſum deſideraverint. Sufficiens ergo datur ad implendum ſcilicet deſiderantibus ac petentibus, non ſimpliciter omnibus. Quamquam & illud circa Leonis verba haud diſſimulanter prætereundum, quòd non abſolute dicat, Juſtè inſtat præcepto, ſed *nobis* addidit; ut nimirum

mirum de Chriſtianis ſe loqui ſignificet, non de omnibus generaliter hominibus. Aliud etiam eſt, inſtituta eſſe à Deo media ad ſalutem pro omnibus ſufficientia, unumquodque in genere ſuo, ut eſt mors Domini, baptiſma, & exempla Chriſti & Sanctorum, miraculum Mundi hujus,
& alia hujuſmodi: Aliud autem unum- 188.
quemque à Deo ſufficienter adjuvari, aut ſufficientem unicuique gratiam ad exurgendum dari, aut paratum eſſe. Illud prius non dubitamus eſſe veriſſimum, idque Doctores quidam poſteriores volunt: Poſterius vero doctrinæ Auguſtini conſentaneum eſſe non putamus.

In cauſa verò parvulorum, quod urgetur ex Cypriano æqualitas divini muneris, & quod æqualitate libratâ ſeſe omnibus præbeat Patrem, Reſpondemus non loqui Cyprianum de æqualitate quoad Baptiſmi procurationem, ſed quoad inſtitutionem & legem; in qua lege nullum hominem natum excipi voluit, quin ei ſacramentum humano miniſterio, tribueretur, cum id poſſet. Unde ait expreſsè: Nam Deus, ut perſonam non accipit, ſic nec ætatem, cum ſe omnibus ad cęleſtis Gratiæ conſecutionem æqualitate libratâ præbeat Patrem. Omnibus ergo ſe præbet æqualiter, ſic videlicet,

Ad Apol. aſſert. 16. & 17.

Secundum priorem partem de parvulis.

licet, ut nec perſonam, nec ætatem accipiat; quaſi propterea quiſque ad percipiendam gratiam non eſſet idoneus. Nullum enim excluſit lege ſuâ à Baptiſmi perceptione, quia nimis eſſet recèns natus. In ea verò providentia, quâ Sacramentum procuratur, manifeſtum eſt, quod ſe non omnibus parem exhibeat, qui parvulos quoſdam mirabiliter conſervet, donec baptizentur, non item alios.

Ad Apologiam aſſertionis 31.

CAPUT XIII.

IN hoc controverſæ doctrinæ ſtatu, quo partis utriuſque ſententiæ, velut per antitheſes quaſdam altrinſecus oppoſitæ, ſummatim colliguntur, ut hinc Cenſuræ noſtræ quaſi iniquitàs appareat, obſervari velimus, quemadmodum Profeſſores pro cauſæ ſuæ commodo, diſſimulent primùm, prætereantque non pauca, quę inter ipſorum placita plus erant offenſionis habitura; deindè ſua quidem mitigantes, moliſſimè, ſpecioſiſſimeque proponant, noſtra verò quomodo, quibuſque libuit expreſſa verbis, non ſolum
189. odiosè referant, ſed vitient etiam, atque
cor-

corrumpant; hoc agentes, ut de noſtra ſententia niſi ſiniſtrè judicari non poſſit. Quare faciendum nobis eſt, ut de his primùm quæ nobis aſcribunt, quæ ſententia ſit noſtra, dicamus, ac ipſorum deinde, quæ notamus dogmata, nudè, ſimpliciter abſque ulla additione, aut exaggeratione proponamus, ut hinc æqua, an iniqua Cenſura ſit noſtra, cognoſci rectiùs poſſit.

Primùm itaque dicimus ac docemus, 190.
Neminem in hac vita ſic peccare, quin peccatum, quod facit, poſſit non facere, & ad meliora converti; non quod habeat unuſquiſque auxilium ſufficiens, ſed quia hujus vitæ tempore obdurata non eſt in malo voluntas, ſicut in Dęmonibus, & damnatis & auxilium ſufficiens à Deo obtineri poteſt. Sic & Ruardus ipſe docet, utens ejuſmodi verbis: Si deeſt gratia, quâ opus eſt ut ad Deum cor converti poſſit, non poteſt prò tunc ad Deum converti. Intelligo autem, inquit, ſi gratia ſic deeſt, ut nec pro tunc impetrari poſſit. Sic ille ſuperiorem ſententiam temperavit. Et quia nonnulli in hac doctrinæ parte multùm Ruardi authoritate nituntur, cupimus obſervari, quod ipſemet diſertis verbis ſic expreſſit. Alia tamen opinio eſt magis conſentanea Auguſtino, &

Art. 7. pa. 31.

Ibidem pa. 344.

& Patrum Conciliis, quòd non omnibus Deus concedit tale auxilium ſcilicet ſufficiens. An autem poſſit eſſe peccatum, ubi eſt neceſſitas, hoc circa damnatos diſputatur. Nam ſicuti ſupradictus Ruardus annotavit, An peccent damnati in odio Dei, & hominum invidiâ, & ſuperbiâ, variè, inquit, opinantur Doctores

Ibidem pa. 169.

191. Scholaſtici. Interim non dubitamus, in hac vita nullam eſſe peccandi neceſſitatem, per quam videlicet ita peccetur, ut non ſit in poteſtate non peccare, & ideo cuique ſuum peccatum imputari, quia voluntariè, & liberè peccaverit. Quod autem pertinet ad gratiam ſufficienter præparantem, non dicimus, quòd prçter eam opus ſit aliâ gratiâ, quæ præveniendo conſenſum in nobis operetur, ſed dicimus, non eſſe gratiam ſufficienter præparantem voluntatem, niſi quæ faciat ut velimus & conſentiamus: quamdiu enim

192. voluntas nondum ſic affecta eſt, ut velit, ſed adhuc reſiſtit & contradicit, nondum ſufficienter à Domino eſt præparata; Neque adeſt illi gratia, de qua Paulus, cum de præoperante gratia loqueretur, Deus eſt, inquit, qui operatur in nobis velle. Neque etiam dicimus, per eam gratiam non relinqui in noſtra libertate conſentire, & diſſentire, ſed omnino aſſerimus, ſic

Ad Philipp. 2.

nos

nos per eam conſentire, ut in poteſtate ſit non conſentire. Et hoc quidem non neſcimus, habere intellectu difficilem liberi arbitrii cum gratia conciliationem, ſed ſatiùs eſſe putamus cum veteribus, qui contra Pelagium diſputaverunt, hâc difficultate laborare, quàm facilitatem cum periculo quærere. Rurſum non dicimus reprobare Deum quoſcumque reprobat, ſolâ habitâ ratione peccati originalis, cùm manifeſtum ſit, quod adultos multos damnare velit, non propter originale peccatum ſemel in baptiſmo remiſſum, ſed propter actualia crimina, quæ poſtea deſignarunt.
Multoque minus dicimus, quòd media 194.
omnia ad damnationem efficaciter præordinarit: quod non ſatis intelligimus, quo arcio nobis Apologia velle videtur impingere; ſed ea quæ peccata ſunt, præſcita dumtaxat, ac permiſſa putamus. Quæ vero ad æternæ vitæ conſecutionem, Deo per ſingula dirigente, & gubernante, fiunt, ea putamus eſſe prævolita & præordinata, nullâ præſcientiæ iſtius conditionatæ, quę jam primùm fingitur, ratione habitâ. Et hæc quidem de ſententiis, quæ nobis adſcribebantur. Nunc placita eorum ſummatim proponamus, quibus viſa ſit, quam dedimus, Cenſura congruere, ac retinere etiamnum haud injuria debere videatur; niſi

quod

quod primis Scripturę articulis, extra prędeſtinationis & gratiæ ſit argumentum. De hac itaque Scriptura, iſta eorum aſſertio eſt: adeò non eſſe ſingula ejus verba ſententiaſque à Spiritu Sancto inſpiratas, ut integer etiam

De Scriptura Sacra.

1. liber, ſolâ humanâ induſtriâ, abſque Spiritus Sancti aſſiſtentia ſcriptus, Scriptura fieri poſſit; ſi poſtea Spiritus S nihil ibi eſſe falſi teſtetur. Atque hujus generis exemplum in ſecundo fortaſſe Machabæorum extare Libro.

De prædeſt.

2. De prædeſtinatione ita ſentiunt: Prædeſtinationem ad gratiam, ſeu decretum liberandi hominem è maſſa perditionis, præſuppònere conditionatam præſcientiam obediendi & aſſentiendi gratiæ, ſeu vocationi Dei; hanc videlicet, quâ Deus præviderit illum ſecuturum, & non repugnaturum, ſi ſic, vel ſic vocaretur. Abſque autem hac præſcientia explicari vix poſſę, quomodo in prædeſtinatione libertas ſervetur arbitrii.

3. Deinde electionem ad gloriam non eſſe immediatam, abſolutam, efficacem, ſed conditionatam, quales æternæ vitæ ſunt promiſſiones, ſi videlicet divinæ gratiæ fuerimus cooperati; alioqui & conſequendæ ſalutis, & mediorum huc perducentium, abſolutam ſecuturam neceſſitatem; adeoque bonorum operum neceſſitatem ac meritum cum Calvino videri tolli.

De

De providentia hæc eorum doctrina eſt. Indignum videri Deo, ſi ante omnem cauſarum ſecundarum præviſionem, de rebus etiam minimis diſponat, atque præordinet, omnemque generaliter Dei voluntatem ſeu conſtitutionem, quâ ante cauſarum ſecundarum præviſionem, aliquid præordinet, libertati contingentiæque adverſari. *De providentia.* 4.

Ad hæc, Chriſti paſſionem & crucem non fuiſſe æternâ Dei voluntate præordinatam, atque ut ſuo tempore proveniret, abſolutè diſpoſitam; ſed ex præſcientia tantùm Judaicæ malitiæ proviſam, atque permiſſam. Deum alioqui, ſi Chriſtum crucifigi abſolutè voluiſſet, peccati crucifigentium debere eſſe authorem. 5.

Præterea quando aliquid præſupponitur, quod in noſtra non ſit poteſtate, tum id quod per neceſſariam conſequentiam inde colligitur, ita eſſe neceſſarium, ut liberum eſſe non poſſit. 6. *Notabile axioma.*

De Chriſti gratia ſic docent: Gratiam Chriſti, quamvis ſufficientiſſimè præparantem, relinquere nihilominùs voluntatem indeterminatam & indifferentem ad benè velle, eſſeque hoc de liberi actus ratione, ut à voluntate pendeat, tempore & naturâ priùs ad ipſum actum indeterminatâ & indifferente, ideoque gratiam efficaciter & infalli- *De Chriſti gratia.* 7. *Alterum axioma benè notand.*

infallibiliter voluntates noſtras determinantem, actûs ipſius tollere libertatem.

8. Dei gratiam, quantumcumque efficacem, ſic eſſe in liberi arbitrii poteſtate, ut quamvis interdum difficile ſit ei non cedere, poſſit tamen fruſtra & abſque converſionis effectu eſſe adhibita, ſi videlicet acquieſcere ei noluerimus.

9. Gratiam efficacem, de qua Scripturæ loquantur, & D. Auguſt. diſſerit, quâ fiat videlicet, ut non poſſimus tantum, ſed & faciamus, eſſe quendam Dei concurſum ſpecialem & ſupernaturalem, qui naturali ac generali ſit ſimilis, qui peccatori ſufficienter excitato ita paratus ac præſto ſit, quemadmodum alter ipſi naturali potentiæ videndi.

10. Ad explicationem ſententiæ de gratia ad ſingulos actus neceſſaria, ſufficere habitus, & illum jam dictum concurſum.

11. Habere omnes homines, etiam infideles, ſemper & ubique, ex parte Dei, ſufficiens auxilium, quo ſe convertere & à peccatis exurgere poſſint; alioqui enim non fore Chriſtum Redemptorem omnium futurum. Deinde quamplurimis Dei legem obſervatu impoſſibilem, nec defuturam peccatoribus idoneam in die Judicii de tranſgreſſione excuſationem.

12. Quin & parvulos omnes, in maternis

uteris

titeris morientes, ſufficiens habere ſalutis remedium: eadem enim alioqui de Redemptore omnium Chriſto, ac relictâ excuſatione, ſecutura abſurda. Quocirca improbabiles etiam eſſe D. Auguſtini expoſitiones; circa illud Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, nec Apoſtoli inſtituto congruentes, idquè proptérea, ut de ſufficienti omnibus parata gratia, ſenſus, qui Auguſtino non placuit, retineri poſſit. Hæc in genere dogmata ſunt quæ viſa nobis fuere nec ſcripturis, nec Patrum teſtimoniis, nec rationis æquitati conſentanea; & adeo per ea hæreticis non facilius reſiſti, ut cauſa eorum adjuvetur potius, & in erroribus ſuis confirmentur. Quàm autem in ſtatuendis tuendiſque ſuperioribus ſententiis, Scripturas non paucas ita ad ſuum accommodent intentum, ut iis ludere (ſic enim habet protographi Cenſuræ noſtræ germana lectio, non illudere, quod neſcimus, unde pro altero irrepſerit) ac veluti per luſum abuti videantur, quàmque veterum Patrum dicta in alienos ſenſus torqueant, ex plurimis hactenus reſponſionis noſtræ locis faciliimum intelligere fuerit.

SCRIPTI HVIVS PARS ALTERA, *Præfationis ejus, quæ Cenſuræ fuit præmiſſa, purgationem continens.*

JAm ut ad Cenſuræ noſtræ Præfationem veniamus, cujus ſecundo loco (quia ex ſuperioribus ejus pendeat defenſio) rationem nos diximus eſſe redditûros; Queruntur initio Profeſſores, dogmata illa ſua vocari peregrina, offenſiva, & periculoſa, quàm valdè duram eſſe Cenſuram, ajunt, præſertim non auditâ parte, quæ id deſideravit & rogavit. Ad quod:

Reſponſio ad 1. Reſpondemus in primis, Præfationem illam privatæ tantum monitionis, non Cenſuræ, quæ poſtea ſubjicitur, multò minus damnationis, egiſſe partes: quæ utique ſcripto (uti jam utrimque placuerat) in hoc adhibita fuit, non ut inauditi ipſi, quod cogitatum nunquam fuit, damnarentur, ſed, ut quę in eorum prælectionibus, etiam publica fama notaſſet, cujuſmodi forent advertere dignarentur; aut ſanè, ſi quam haberent idoneam purgationem ſatisfactionemque, ſcripto viciſſim aliquo exhibere nobis ne gravarentur. Atque hoc pacto, uti jam cœperant, porrò à nobis

bis audirentur. Quod ſi facere Profeſſores dignati, aut permiſſi fuiſſent, jam dudum componi hæc controverſia potuiſſet, neque ejus tam latè ſparſa fama, tantum inter Catholicos ſcandalum fuiſſet exortum.

Jam verò aſperiores illæ voces, quæ invidioſe exaggerantur, non ex noſtrâ ibi perſona dicuntur, ſed narrativo ſermone perlatè ad nos tantummodo ſignificantur. Unde apparet, quàm parùm ab eis attente, vel in ipſo ſtatim exordio, noſtra ſint lecta. Quamquam ad rem ipſam quod attinet, ſintne hujuſmodi, quæ in eorum doctrina notamus, nec ne, ex ſuperiore reſponſione noſtra & ea in primis ejus parte, quę ad 31. aſſert. appoſita eſt, ubi ea ſummatim proponimus, æſtimari haud difficile fuerit. Ad Ruardum, & alios Scholæ noſtræ anteceſſores, opportuniùs alio loco reſponſuri ſumus.

Quę de auditorum & diſcipulorum dicuntur diſſidio, quin ex doctrinæ diverſitate ſtudiiſque partium exortum, & opera quorundam inflammatum atque exaſperatum ſit, negari non poteſt. Quorum nonnulli quàm protervè ac petulanter locuti adverſum nos fuerint, mira nobis ex Urbe minitantes, pacis comtemplatione, referre hîc noluimus. Quænam verò dogmata fuerint, quæ cauſam diſſidii dederint, hæcne quæ *Reſponſio ad 2.*

Apologia commemorat, an ea potiùs quæ ſuprà ſunt à nobis propoſita, cordatis æſtimandum relinquimus. Certe cùm doctrina noſtra, Calvini inſimilaretur, ac ejuſmodi rationibus oppugnaretur, ut cum libero arbitrio conſiſtere non poſſe, prudens quiſquam facile intelligeret, mirum videri non debet, ſi fuere permoti aliqui, & ad contradicendum excitati.

Reſponſio ad 3. & 4. Sed ad alia tranſeamus. Tertio loco, Auguſtinum ſe ajunt, in argumento de prædeſtinatione & gratia, ad unguem ſecutos, exceptâ quæſtione, de immediata & abſoluta electione ad gloriam: de qua priùs nonnihil dubitarant. At verò expenſis diligentiùs ejus ſcriptis, certo jam ſcire, eum in hoc etiam articulo eadem cum ipſis ſentire: Sed quàm in toto pænè argumento ab Auguſtino diſſentiant, ejuſque doctrinæ ex diametro repugnent, adeoque & evertere illam, quantum in ipſis eſt, moliantur, quamquam ex ſuperioribus conſtare credimus, breviter hîc tamen repetere neceſſarium duximus.

Docet itaque in primis Auguſtinus, Chriſti gratiam, quæ proprie dicitur, quæque contra Pelagium Retinenda nobis ac defendenda eſt, dare non tantum poſſe, ſed velle etiam & operari: Profeſſores poſſe tantùm dare volunt, nec aliter dare velle & operari,

operari, quàm quia poſſe donat. Quomodo etiam hoc Apoſtoli dictum interpretatus Pelagius fuit, alioqui enim liberum evertendum arbitrium.

Docet Auguſtinus, Chriſti gratiam ſufficienter præparantem non illuminare tantùm, ſuadere, excitare, pulſare, quæ omnia & Pelagius agnoſcebat, ſed ipſum quoque corrigere infidelitatem, ac donare fidem, cordiſque converſionem. Profeſſores Calvinianum hoc eſſe putant.

Docet Auguſtinus, quòd eadem Chriſti gratia non terrore pulſet tantùm, ſed amore afficiat, nec ſuadeat modò, ſed etiam perſuadeat, nec alliciat ſolùm, *ſ*ed etiam adducat: Profeſſores pulſare, ſuadere, allicere tantùm, non autem perſuadere, atque adducere efficaciter, niſi ſecundum eventum, volunt; non poſſe alioqui ſuam eſſe arbitrio incolumen libertatem.

Docet Auguſtinus, hanc Chriſti gratiam non eſſe bonis maliſque communem, ſed bonos à malis, credentes à non credentibus, pœnitentes à non pœnitentibus per eam diſcerni: Profeſſores communem eſſe volunt, & Auguſtini verba ad juſtificationis tantùm gratiam, obtorto collo detorquere nituntur.

Docet Auguſtinus eandem à nullo duro corde reſpui: illi reſpui ſæpiſſimè volunt;

alioqui neceſſitatem induci, quæ libertatem evertat.

Idem docet, auferri per eam cordis duritiem, quâ in infidelitate, & potenti amore obfirmatum tenebatur: Illi hoc dictum ut eludant, in juſtificatione tantùm id fieri interpretantur.

Idem Deo ſalvum facere volenti, nullum, ait, obſiſtere arbitrium, ut fruſtrà cuiquam Deus miſereri voluerit: Illi etiam efficaciſſimam Dei gratiam ita in hominis poſitam eſſe volunt poteſtate, ut fruſtrà poſſit eſſe adhibita, ſi videlicet converti noluerit: neque cauſam reddere poſſunt cur non ita ſæpenumero fiat.

Idem Dei gratiam, quæ non poſſe tantùm, verùm etiam velle & facere nos efficaciter faciat, prævenientem, eamque Chriſti gratiam ſenſit: Negant illi, & concurſum eſſe tantum quendam volunt, qui & Angelis Beatiſque in cœlo ſpiritibus neceſſarius ſit.

Idem prævenientem hanc Chriſti gratiam ad ſingula opera bona neceſſariam facit: iſti habitus, & concurſum illum ſufficere volunt.

Idem docet, quòd duorum vocatorum altero non ſequente, alter ſequatur, cauſam & differentiam non ex libero eorum arbitrio, ſed ex inæquali Dei gratia petendam:

Illi ex ſolo arbitrio eſſe poſſe, atque ita frequenter accidere volunt. Idem perſeverantiæ donum integris hominibus datum diligenter ab eo diſtinguit, quod lapſis nunc datur: Iſti ſuâ explicatione confundunt.

Idem integris datum, ait, ut perſeverare poſſint, ſi vellent, ut autem vellent, in libero eorum relictum arbitrio: Idem de lapſis etiam illi dicunt.

Idem hanc facit lapſorum perſeverantiam, quâ perſeverare non poſſent tantùm, ſi velint, ſed tam potenter quoque ac efficaciter velint, ut prorſus niſi perſeverantes non ſint: Illi paucorum tantùm hoc eſſe volunt, quos in gratia confirmatos hîc ajunt.

Idem unicum in lapſis agnoſcit perſeverantiæ donum, quo perſeverare ſic velint, ut etiam perſeverent: Illi duplex faciunt; alterum, quo poſſunt tantùm, alterum, quo velint & perſeverent.

Idem neſciri, ait, quinam perſeverantiæ nunc donum habeant: Illi juſtos omnes habere pronuntiant. Idem docet gratiam Dei non omnibus dari: Illi ita id neceſſarium eſſe volunt, ut niſi hoc dicatur, non omnium ſit Chriſtus futurus Redemptor, Dei præcepta quàm plurimis fore obſervatu impoſſibilia, & peccatoribus, qui ea non fecerint, in Dei judicio excuſationem relin-

qui. Idem docet, quòd baptiſmi applica-tio parvulis quibuſdam impoſſibilis fiat, divini eſſe judicij, quo beneficii ſui nolit Deus eos eſſe participes: Illi ad ſecundas cauſas referendum id putant, quorum Deus curſum permittit, nec impediri ſtatuerit. Auguſt Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ideò inter cætera dictum ait, tum quia nemo, niſi Deo volente donanteque, ſalvus fiat, tum quia ex omni hominum genere plurimos faciat ſalvos: Illi has interpretationes velut improbabiles rejiciunt. An hoc eſt Auguſt. in argumento de gratia per omnia ſequi? Sed de prædeſtinatione diſpiciamus, quàm cum eo conſentiant. Illi prædeſtinationem, gratiæ tantum eſſe volunt præparationem, non gloriæ: Auguſt. utriuſque. Illi toti prædeſtinationi conditionatam præſupponunt præſcientiam: eam Auguſt. ignoravit. Illi requirunt in homine obſequendi præparationem, quâ ſic vel ſic vocatus, ſit ſecuturus, eamque prævideri à Deo: Auguſt. talem nullam agnoſcit, ſed eam omnem facit prædeſtinationis effectum, quem ideo præſciat Deus, quia eum ſit ipſe daturus. Illi prædeſtinationis certitudinem ab hac conditionata ſequendi præſcientia liberique arbitrii acceptatione & obſecutione religant, atque ſuſpendunt: Auguſt à Dei abſoluta voluntate præſcientiaque deducit. Illi

Illi prædeſtinatorum numerum ab hac conditionata præſcientia Deo certum eſſe volunt: Auguſt. ab efficaci & abſoluta Dei voluntate & præſcientia.

Illi vocationem apud Apoſtolum ſecundum propoſitum Dei, omnibus etiam temporaliter juſtis eſſe communem: Auguſt. ſolis prædeſtinatis. Illi cooperationem omnium in bonum, de qua ibidem agit Apoſtolus, piorum faciunt omnium communem: Auguſt. electis propriam. Illi fideles omnes filio apud Joannem à Patre datos interpretantur: Auguſt. ſolos electos. Ex his intelligi poteſt, quàm verum ſit, quando Profeſſores ajunt, Auguſtinum ſe in omnibus, quæ ad gratiam & prædeſtinationem pertinent, ad unguem ſecutos. Imo quàm ei adverſentur ejuſque doctrinam evertant: ut ſi vera ſint, quæ de hoc argumento ipſi tradunt, prorſus gratiæ vim, & naturam & Auguſt. ignoraverit, & Pelagium in plurimis non rectè damnarit. Jam vero, quomodo hæc ipſa doctrina etiam de Calviniſmo ſuſpecta redditur, imò palam etiam hoc nomine accuſatur, & cum libero arbitrio conſiſtere non poſſe aſſeritur, an tacendum nobis fuiſſe quiſquam opinabitur? aut juſtam ſatis negabit fuiſſe cauſam, ut Profeſſores privato ſcripto ea de re admoneremus, fraterneque

corriperemus? Sed ita hominum iugenium eſt, ut cùm cenſeri ſua placita & judicari non ſuſtineant, ipſi tamen diverſam ſibi ſententiam (quam ſanè Auguſtini eſſe non dubitamus) mirâ libertate, velut hæreticam, damnare non vereantur. Quid enim aliud agunt, toties inculcantes Calvini hanc eſſe doctrinam, nec videri cum libertate, & contingentia poſſe conſiſtere? Nam quòd Auguſtinum in hoc argumento, aliter quàm nos facimus, interpretari ſe ac intelligere, ajunt, id verò etiam eos magis accuſat, quando non aliud, quàm pro cauſæ ſuæ commodo, clariſſimam ejus doctrinam, novæ interpretationis injecta nebula, obſcurare velle, ipſumque reluctantem ac reclamantem obtorto ad ſe collo pertrahere intelligantur. Sed coarguit eos ſuperiorum omnium ſœculorum conſenſus, quando de verborum Auguſtini intelligentia communis illa mens omnium atque ſententia fuit; non ſectatorum ac diſcipulorum modò ejus, ſed inimicorum quoque & adverſantium, qui ejus doctrinam, quam pugnare cum ſua ſentiebant, ferre non potuerunt, uſque adeò, ut nec Ambroſii Catharini, nec Pighii diverſum hac in parte judicium fuerit. Sed hic novatorum omnium mos & conſuetudo eſt, ut ſi adverſam ſibi alicujus authoritatem

vel

vel repellere, vel evertere nequeant, falſæ interpretationis lenocinio in alteram partem traducere ſtudeant.

Jam ad immediatam & abſolutam Dei electionem ad gloriam quod attinet, in qua ſola, ut ajunt, ab Auguſtino fortè diſſenſerunt, quàm ea certa ſit ipſius ſententia, ex ſupradictis conſtare ſatis arbitramur; tamen vel ex eo facillimè intelligi breviſſimeque poterit, quòd Apoſtolum ſecutus, de electione non juſtitiæ, ſed gratiæ, & gratuita utique ad vitam prædeſtinatione loquatur, quâ homini peccatori & in maſſa corruptionis adhuc jacenti, nihilque meritorum, aut undè illa comparare poſſit habenti, vitam æternam miſericorditer decrevit, ac præparavit. Quæ, haud dubiè, non ex meritorum præſcientia, ſed eorum ipſa eſt potiùs cauſa; ut quia non ſtatuit Deus ad deſtinatum illum gloriæ finem, abſque bonorum operum meritis, quemquam perducere, ideo quaſi poſteriore loco, hæc etiam illi prępararit, donareque decreverit, ac proinde facturum etiam ſeſe præſciverit; ut ſecundum Auguſtinum, meritorum pręſcientia ex gratuita ſit prædeſtinatione ad gloriam, non ex præſcientia ipſa prædeſtinatio. Nam altera illa quæ eſt ex meritorum præſcientia, quâ Deus vitam æternam, bonorum operum tanquam mercedem

dem ac præmium, donare propoſuit, juſtitiæ, poſteriorque prędeſtinatio eſt. Quomodo hâc contemplatione, vita æterna merces etiam eſt ac præmium. Unde & Jacob dilectum eſſe, ait, inter cætera, etiam ad ipſam gloriam, non ex prævisis operibus, non ſolùm quæ ex ſe, aut legis præſidio, ſed ne ex iis quidem quę Dei gratiâ facturus erat: Qualia nimirùm fuêre, quæ poſtea fecit. Unde breviter intelligi poteſt, loqui eum de immediata electione ad gloriam, & ea quę non ex prævisis ſit meritis. De abſoluta verò etiam electione prædeſtinationeque agere, vel unum illud eſt certiſſimi argumenti, quod efficaci, & abſolutâ voluntate perſeverantiam doceat electis eſſe decretam, quę ſanè non niſi ex abſoluta ſalvandi voluntate deſcendit. Sentire ergo Auguſtinum, electos omnes immediatâ & abſolutâ Dei voluntate ad vitam prædeſtinatos, rectè Profeſſores initio judicarunt, nec cur dubitanter id facerent, cauſa aliqua juſta fuit: multò verò minùs, ut à ſententia recederent: Nam licet Auguſtinus, ut & ſuprà annotatum fuit, de primo prædeſtinationis effectu totaque congerie bonorum prędeſtinatorum frequentiùs loquatur, ut nullum ejus velit (ut ſentiebat Pelagius) humanum eſſe meritum; ſubinde tamen & ad ultimum reſpicit

æternæ vitę effectum, ut & illum nolit eſſe ex ullis, ne gratiæ quidem prçviſis meritis, prędeſtinatum; de gratię quippè, non juſtitię, agens electione ac prædeſtinatione. Quare falluntur non parum; quòd nunc expenſo, ut ajunt, diligentiùs Auguſtino, ſecum illum non opinari ſe modò, ſed & certo etiam ſcire ſcribunt. Quamquam mirum ſanè eſt, tam ſerò nunc id eos deprehendiſſe, aut priùs tam negligenter oſcitanterque Auguſtinum legiſſe. Sed non ita exiſtimamus, præſertim cum nec ante ignorarint, exſtare apud nonnullos hanc ipſam Auguſtini verborum intelligentiam, quos ſequi jam ſe duces profitentur. Quin pòtiùs hanc ſententiæ ſuæ, quam videri volunt, mutationem (quemadmodum & priorem illam cunctationem, timidioremque aſſertionem) non aliud interpretamur, quam offenſionis & invidiæ declinationem ac fugam; ne videlicet nimium B. Auguſtino adverſari ac reſiſtere velle videantur, cujus authoritati tam palam obluctari ac obſtrepere, cæteris experti eſſent non ſatis feliciter ſucceſſiſſe. Certè quàm non dubiè ac ſuſpensè, priùs de Auguſtini mente, tanquam non ſatis explorata ſenſiſſe videantur, illud magno inprimis eſt argumento, quod pertinentium huc Scripturarum Doctoris illius expoſitiones tam ſtudiosè inſectantur,

atquę

atque oppugnant. Cur id autem, niſi quod eas ad Auguſtinianæ ſententiæ confirmationem comparatas ab illo, prolataſque intelligant. Accedit deinde clariſſimum teſtimonium, ex propriis quibuſdam eorum petitum verbis, quibus in argumenti cujuſdam
1. p. q. 62. art. 2. poſtea ſolutione utuntur. Auguſtinus, inquiunt, putat homines non conſequi beatitudinem, niſi ex efficaci electione, quæ præcedat omnem præviſionem meritorum, Angelos verò aſſequi illam ex præordinatione, quæ ſit poſterior præviſione operum. Non hæc ſane dubitantium & ambigentium verba ſunt. Sed neque excidit de Auditorum memoria; quòd alter Profeſſorum, abſoluto prædeſtinationis tractatu, publicè palamque his, aut ſimilibus verbis, de Cathedra dixit: hactenus ſe ab Auguſtino receſſiſſe, ſed velle poſthàc doctrinam ejus religiosè, in cæteris ſequi: cujus rei idoneum non pauci perhibere teſtimonium queant. Nec illud prætereundum, quòd privatim etiam quibuſdam dixit, eſſe quidem qui Auguſtini verba commodiùs interpretari, & cum altera ſententia conciliare nitantur, ſed in eo laborare ſe nolle; quod utique neglectum ab eo non fuiſſet, niſi diverſam reverà adverſamque eſſe ſibi perſuaſiſſet. Quod nec ipſum diſſimulare potuit, addens, illam aliorum conciliationem non

non eſſe ex Auguſtini mente. Certè prętermittenda non erat Græcorum cum Auguſtino (quam nec nunc tamen ſufficienter oſtendunt) ineundæ concordiæ ratio, juxta delectorum Romanorum octavam regulam, ſi conciliare eos inter ſe ſolide poſſe ſenſiſſet. Quare tam ſubita hæc cum Auguſtino reconciliatio non poteſt non ſuſpecta videri; ne non, tam certo juducio & attentiore lectione, quàm offenſionis cogitatione, metuque ſit inita; quæ proinde levi prorſus momento diſſiliat. Præſertim cùm addant, non admodum referre, etiamſi Auguſt. diverſum ſentiret. Ubi ſanè animum aperiunt ſuum, quàm non ſatis reverenter erga tantum Eccleſię Doctorem affecti ſint, quàm tam nihili faciant, contemptuique ducant, ab ejus viri ſententia judicioque recedere. Quam ab eo diſſentiendi libertatem, nos Eccleſiæ Dei nec utilem, nec ſatis honorificam & honeſtam exiſtimamus. Et ſanè non ita pridem eſt, quòd cœpit in Eccleſia hæc Auguſtino contradicendi ſatis inverecunda audacia, adeoque & libido quędam Maſſilienſis à Catharino & Pighio liberis valde hominibus, ut apparet exorta, quę dum initio plus æquo diſſimulanter tolerata fuit, eouſque malo exemplo proceſſit, ut jam nec petulantibus maledicilque vocibus abſtineretur.

Imò

Imò verò exorti ſunt, qui ejus doctrinam, Calviniſmi non vereantur occultè perſtringere. Ubi quid aliud obliquè agitur, quàm ut contemni Aug. incipiat, & ab ejus lectione ſtudioſi omnes avocentur, aut etiam abſterreantur. Quocirca recte prudenterque nuper à Gregorio 13. factum, quod (uti à viro quodam fide digno accepimus) Celeſtinum imitatus, ſcriptori cuidam (cujus nomini parcendum putamus) inverecundiùs adverſus Auguſtinum agenti pluraque ejus generis pollicenti, ſilentium indixerit, atque à ſcribendo in poſterum abſtinere juſſerit. Et modeſtiùs quidem verecundiùſque agere videntur, qui ne palàm cum Aug. bellum ſuſcepiſſe videantur, dicta ejus in diverſum ſuumque ſenſum novâ interpretatione traducere laborant; ut non modò nihil contra ipſos, ſed jam pro ipſis etiam facere exiſtimari poſſit. Sed quorum ſtudium non minus, quin etiam magis fortaſſe, periculoſum ac noxium ſit; cùm manifeſtum vitare adverſarium, quàm occultum faciliùs ſit. Qui cum pro Augnſtino certare videantur, miro tamen artificio Auguſtinum ex Auguſtino oppugnant ejuſque aucthoritatem, ejuſdem aucthoritatis præſidio expugnant. Atque hæc quidem non eo dicuntur, quaſi nuſquam liberum eſſe putemus, in aliqua doctrinæ aut expoſitionis Scripturæ

rę ſacræ particula, diverſum ab Auguſtino ſentire, modò id modeſtè reverenterque fiat; ſed ut hoc prætextu, tota ejus aliqua, præſertim de magni alicujùs momenti argumento, doctrina convellatur, permittendum ſane non putamus; idque eo magis ſuſpectum haberi debet, quo id artificioſiùs quiſpiam tectiuſque molitur. Nam ut reverà Profeſſores hi, uti oſtendimus, cum Auguſtini de gratia & prædeſtinatione doctrina pugnent, ac totam quaſi ejus diſputationem convellant atque evertant, diſſenſiſſe tamen ab eo videri nolunt, niſi in uno, aut altero de immediata & abſoluta electione ad gloriam, neque id niſi cunctanter ac dubiâ incertâque ſententiâ; nunc vero etiam in illa quæſtionis parte, cum eo conſentire frequentiſſime hîc & paſſim inculcant; cum nec in hoc, nec in cæteris conveniant. Sed hoc præ cæteris delectum videtur, quòd ſe hîc veterum præſertim Græcorum, & nonnullorum Latinorum conſenſu, adverſus Auguſtinum ſat eſſe putarint munitos. Sed nec unus ille exigui habendus momenti, aut contemnendus articulus eſt, præſertim cum eam ſententiam ita Auguſtini eſſe nolint, ut Calvini ſit potius, cum libero arbitrio pugnans, cum bonis meritis parum conſentiens. Cæte-

rum ad Celeſtini verba quod attinet, quibus ait, profundiores difficilioreſque intercurrentium quæſtionum partes, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non abnuit, ita non neceſſe ſe habere aſtruere, non iis putamus libertatem permiſſam de his ſentiendi, quæ quiſque voluerit (cur enim alioquin Maſſilienſibus ſimpliciter ac generatim indictum ſilentium?) ſed quia res quæſtionibus illis comprehenſas, ut ſic proponuntur, non putavit Pontifex omnibus abſolutè cognitu neceſſarias, ea tantùm quæ omnes tenere expreſsè oporteret, definiſſe contentus; tacitè verò atque implicitè etiam illa definiens, quatenus videlicet in definita recidant, ac revolvantur. Ac de eorum quidem numero eſſe putamus, quæ in hoc argumento controverſa inter nos ſunt: ut ſi non apertis omnia diſertiſque verbis, tacitè tamen atque implicitè definita exiſtimemus, & ſub manifeſte definitis comprehenſa. Deinde ut non id omnibus liquidò fortaſſis appareat, ſatis eſſe dicimus, Auguſtini eam eſſe doctrinam; quæ haud dubiè impoſito Maſſilienſibus ſilentio, citra exceptionem, à Celeſtino probata ſit; quam proinde etiam ex Pontificis voluntate, audiri & prædicari longè ſit æquius, quàm quæ

præ-

præfatis Maſſilienſibus Auguſtini obtrectatoribus, tantopere placuit: tantum abeſt, ut de Manichæiſmo, vel, ut de noſtris loquamur temporibus, Calviniſmo accuſari debeat.

Quòd verò ſuperiorem illam de abſoluta & immediata ad gloriam electione, quam, diſſimulatis cæteris, tanquam cum Auguſtino in iis conſentiant, unam hîc ſolamque ſemper urgent, nihil ad Pelagii cauſam facere cenſent, in eo nobis falli videntur, quando ad eam bene intelligendam magnopere intereſt, electionem gratiæ, quam commendat Apoſtolus, probè cognitam & perſpectam habere. Quamquam ex ſermonis ſimilitudine (uti ſuprà oſtendimus) occulta quoque Pelagiani erroris timenda affinitas eſt; ut non ſine cauſa ſuſpectum haberi debeat, quòd Maſſilienſes Pelagianis reliquiis infecti in ea retinenda ſententia tantopere laborarint. Jam quod eam ipſam ſententiam (ut alias hîc plures) commodiorem eſſe Profeſſores putant, ut Calvini obſiſtamus hæreſibus: ut hoc eis donemus, non ideo tamen vera mox erit, aut ab omnibus ſtatim ſuſcipienda. Nam videndum ſanè, ita hæreſim aliquam excludamus, ut ne alteri feneſtram aperiamus, atque ſi charybdim vitemus, ne in ſcyllam incidamus. Quam-

quam nec hoc concedendum putamus; cum & altera ſententia bonorum operum neceſſitatem non includat, & cum libero arbitrio optimè conſentiat; licet paulò ſit ejus difficilior obſcuriorque explicatio. Imò vero, ſi quis bene advertat, juvari potius diversâ ſententiâ Calvini cauſam, eumque in ſuo errore confirmari deprehendet. Si enim ex gratuita prædeſtinatione ad gloriam, abſque meritorum prævisione facta, liberum arbitrium, meritaque noſtra tolluntur, eamque electionem Calvino permittendam putamus, quomodo non valde is probabiliter de Eccleſia triumphat, cum antecedens, ſi non certiſſimum, ſanè ut valde veriſimile multiſque probatum Catholicis, eripere illi jure nequeamus, accedente præſertim & Auguſtini auctoritate, pro illo nunc etiam pugnatura?

Quare prudenter ſanè Calvino reſiſtendum eſt, ut ne facilioris victoriæ ſpe ità oppugnemus inconſultè, ut novæ illi defenſionis arma ſuggeramus, & novis ipſi vulneribus pateamus. Qvod vero D. Thomas ejusque encomium cum Auguſtino, & ejus commendatione componitur, ſatis ea odioſa, & iniqua comparatio eſt. Et tamen optaverimus vehementer, uti-ne Profeſſores Societatis tam facilè

cilè quoque recedere ſibi ab eo permittant, maximè cum eum prælectionibus ſuis exponendum enarrandumque delegerint, eamque communem cum eo laudem obtinere veraciter ſtudeant, quam ei D. Ruardus tribuit, quòd perpetuus fuerit B. Auguſt. ſectator. *Art. 7. fol. 332.*

Sed nunc ad quintam ſectionem tranſeamus, in qua de maſſilienſib. agitur. Et in prefatione quidem noſtra, diſplicere nobis inter cætera dixeramus, quòd veteres imprimis Maſſilienſium querelas adverſus B. Auguſtini doctrinam renovarent, nec alia ferè contra eam argumenta objicerent, quàm quæ illis querimoniis continentur. Deinde quòd ad eorum placita propriùs quàm par erat accedere viderentur. Ea Profeſſores ſatis artificioſè confundunt, imponi ſibi à nobis dicentes, quod Maſſilienſ. renovent ſententias, nec alia ferè in ſcriptis eorùm dictatiſque reperiantùr. Verum id diſſimulemus. Negant itaque primùm, querelas illas ſe ſuſcitare: quod nobis tam evidens tunc viſum fuit, ut eas vel commemoraſſe ſatis eſſe putaremus. Ergo ſua nobis in memoriam revocanda ſunt dicta, quæ in Apologia (quam attentiore conſcripſere curâ) repetere confirmareque non dubitarunt. Primum itaque doctrinæ de abſo-

luta & immediata electione ad gloriam
Maſſilienſium querela prima. veterum omnium, qui Auguſtinum anteceſſere, conſenſum Profeſſores objiciunt, eique Patres omnes tam Græcos quàm alios contrarios aſſerunt, qui uno ore ex meritorum præſcientia factam eam eſſe docuerint. An non prima hæc Maſſilienſium querela eſt? Quod quidquid Auguſt. in Libris ſuis adverſus Pelagianos editis, de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum, diſputarit, totum id Patrum opinioni, ac conſenſui ſit Eccleſiaſticorum adverſum. Ubi ſi non doctrina ipſa ſimillima, certè una eademque adverſus Auguſtinum querela eſt.
Querela 2. Deinde ſcripturas in Epiſtolam ad Rom. de vocatione ſecundum propoſitum, non de electis propriè, ut Auguſtinus, ſed de omnibus in genere diligentibus Deum, intelligendas, Profeſſores docent. Illud rurſus, quos præſcivit & prædeſtinavit, ita interpretandum tradunt, ut meritorum præſcientia prædeſtinationem antecedere, atque hæc oriri ex illa intelligatur. Ac item illud, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, non de reprobatione, & prædeſtinatione ad gloriam, ſed ad gratiam intelligendum; atque in hoc reliquos ſe veteres ſequi, à quorum interpretationibus Auguſtinus receſſerit. Quænam alia Maſſilienſium

lienſium fuit ſecunda querela? ubi ajunt, ſcripturas in Epiſt. ad Rom. aliter ab iis ſcriptoribus, quàm ab Auguſtino intellectas, qui omnes unâ ſententià, & propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum pręſcientiam meritorum acceperint.

Tertiò abſolutam & efficacem prædeſtinationem ad gloriam (qualem electionem gratię ab Apoſtolo, & Auguſtino tradi dicimus, illi autem Calvini nomine infamare ſtudent) videre ſe negant, quemadmodum cum libero arbitrio conſiſtat, per eamque facilè homines in torporem, vel deſperationem impelli, præceptiſque ac exhortationibus parum loci relinqui affirmant. Quomodo non hic 3. 4. 7. 8. 9. & 10. Maſſilien. querelam renovant, clamantium, prædeſtinationis Auguſt. doctrinâ liberum arbitrium tolli, abſolutam neceſſitatem induci, omnem removeri induſtriam, virtuteſque tolli, reſurgendi curam lapſis adimi, teporis occaſionem ſanctis afferri, præceptis ac exhortationibus obſiſti? *Querela 3. 5. 7. 8. 9. 10.*

Jam quando idem de efficaci præveniente, ſeu pręoperante gratia (quam ſimiliter ex Auguſtino ſtatuimus) prædicant, ut libertatem per eam tolli putent, An non eadem ipſorum cum Maſſilien. objectio eſt, qui eandem doctrinam au- *Querela 3. 5. 6.*

dientium ædificationi videri volebant adverſam ac meritum omne, & liberum arbitrium tollere? Nam tametſi hanc gratiæ doctrinam Auguſt. non eſſe Profeſſores perſuadere conentur, putamus id
Querela. 11. nos tamen ſuperiùs eviciſſe. Utcumque ergo verbis id negent, eadem tamen revera contra Auguſtini doctrinam eorum querimonia eſt. Cum vero pro ſufficienti omnibus gratia, de Redemptore omnium Chriſto, & effuſo ejus pro nobis ſanguine contra Auguſtinum argumenta objiciant, agnoſcant neceſſe eſt communem ſibi cum Maſſilien. querelam undecimam.

Poſtremò de parvulis Auguſt. argumentum etſi non eodem modo, tamen cum Maſſilien. conantur diſſolvere; ut eandem cum ipſis Auguſtini doctrinam impetere, eamque oppugnare intelligantur. Et hæc quidem de Maſſilien. querelis, quibus maximè argumentis, contra
De ſententiis Maſſil. hanc Auguſtini doctrinam nituntur. Ad eorundem vero quod attinet placita ſententiaſque, breviter commonſtrabimus, quam hoc loco viciniam & affinitatem à Profeſſoribus cogitari cupiverimus: quam quia hîc Profeſſores prætereunt, & aliò Lectorem remittunt, nos compendii causâ paucis hîc proponemus.

1. ſententia. Imprimis itaque clara & manifeſta

Pro-

Profeſſorum doctrina eſt, ut reprobationem, ſic & electionem ad gloriam ex previſis eſſe meritis, non ex gratuito Dei propoſito ac prædeſtinatione: quæ totidem ferè verbis Maſſilien. prima ſententia eſt, qui & de meritis loqui ſe ajunt, quæ ex Dei habere ſe gratia fatentur. Profeſſores certum 2.
quidem agnoſcunt electorum numerum, qui augeri & minui nequeat, ſed ex conditionata, non abſoluta Dei præſcientia & præordinatione: quo, nec alio ſenſu negaſſe id Maſſil. videntur. Tradunt 3.
Profeſſores velle ſic eum omnes homines ſalvos fieri, ut quantum in ſe eſt, paratus ſit omnibus ſufficientia dare ſalutis remedia. Eadem videtur Maſſilien. 3. ſententia; excepto quod fidem ex nobis eſſe ſignificent, de quo ſequens agit ſententia.

Docent ergo Profeſſores fidem hactenus Dei 4.
eſſe donum, quia non modo liberum arbitrium dederit Deus, quo credere poſſumus, ſed interius etiam illuminet, moveat, excitet, pulſet, ut prædicatæ veritati acquieſcamus. Acceptationem vero (quæ non aliud, quàm fides eſt) liberi arbitrii eſſe. Nec alio ſenſu credendi poſſibilitatem Deo, fidem libero arbitrio Maſſilien. tribuiſſe videntur. Siquidem hanc poſſibilitatem non ex ſolo nudoque libero arbitrio ſtatuebant, ſed adjuto etiam, non modò externâ prædicatione; ſed interiori etiam revelatione, illuminatione, promiſſorum excitatione, ac minarum pulſu. Quemadmodum in Cenſuræ præfatione hanc ipſam poſſibilitatem Pelagium etiam intellexiſſe, ex Auguſtino docuimus. Quem ſecutus & Fauſtus eſt, *De gratia* Maſſilien. haud minima portio, Ad quod cum *Christi cap.* 1. ſuo loco reſponſuros ſe Profeſſores promiſiſſent, 10 *&* 40. *adde &* 3. obliti poſtea promiſſi ſui, aut diſſimulanter prætereuntes, vanâ nos expectatione deluſerunt. 4. 5. 6.
Quare iterum petimus, ut ad hunc locum reſpon-

dere dignentur, & doctrinæ hac in parte ſuæ (quando hic totius controverſiæ noſtræ de Chriſti gratia cardo vertitur) differentiam oſtendere. Nam ſcrupuli conſcientiæ, velleitates, ac imperfecta deſideria, quorum alter Profeſſor in ſuis prælectionibus, diſertis verbis meminerat, pro quibus jam ſupponuntur affectiones, commotiones, & complacentiæ, cum leves tamen ac tenues ſint, nec ad immutandum affectum ſufficiant, & cum voluntatis malitia conſiſtere poſſint, neque aliud præſtent, quàm poſſe credere, ut eas etiam Pelagius maſſilienſeſque (ſiquidem difficile eſt poſitis internis hujuſmodi inſpirationibus, cogitationibus, illuminationibus, excitationibus, pulſibus, non interdum vel leviter animum affici) agnoſcere potuerint, minimè ſufficiunt. Concurſum verò non fuiſſe nec à Pelagio (multò verò minus à Maſſilien.) negatum ſupra docuimus.

5. Quærimus ergo, quæ ſententiarum hîc diſtantia ſit? Profeſſorum 18. Aſſertio eſt, infideles, ac obduratos omnes, ſi facerent quod in ipſis eſt, quantumcunque poſſent ſecundum præſentem diſpoſitionem naturalem, quam habent à Deo, ulterius illuminandos, ut credere, & converti poſſent; Non procul valdè hinc recedere videtur quinta Maſſilien. ſententia, quâ à Deo quemque gratiam accipere ſentiebant, quia bono naturæ bene uſus, ad eam meruiſſet pervenire. Nam tametſi Profeſſores in Apologia aſſertionis 18. negent ſe ibi vel congrui meritum tradere; quando tamen ad Ruardum nos remittunt, ac ejus ſententiam ſequi ſe ſignificant, expendendum, quid illa ejus verba ſignificent, quibus ait, non reniti aliquem vocanti Deo, etſi non ſequatur, talem eſſe diſpoſitionem, ut congruum ſit, & deceat bonitatem Dei, ulterius auxilium ad conſentiendum

Art. 7. fol. 343.

dum & ſequendum non negare. Præſertim cum teſtimonium ibi ſubjiciat Gandavenſis, qui ait, mediam illam, & negativam diſpoſitionem, meritum habere non quidem de condigno, ſed tamen de congruo, etiam gratiæ ipſius gratificantis: quod aliud non eſt, quàm gratiam Dei ſecundum meritum noſtrum dari.

Profeſſorum ſententia eſt, hominis voluntatem nom præveniri præoperante Dei gratiâ, quæ illam efficaciter facere faciat, ſed excitare tantùm, ſuadere, ac invitare ad bonum. Adjuvari autem, ut faciat, divino concurſu, ſed ſi priùs ipſe voluerit. Nec diverſo admodum ſenſu Maſſilienſes præveniri à Dei gratia noluiſſe videntur, ſed ſequi humanam voluntatem, nec ideo velle, quia adjuvetur, ſed ideo adjuvari, quia priùs voluerit: quaſi Deus humanam voluntatem non ipſe ſibi præveniente & præparante ſubjiciat gratiâ. Non negaſſe autem nec Maſſilienſes prævias ad fidem interioris etiam illuminationis, excitationis, motionum, ac pulſuum diſpoſitiones, ſuprà & ex Auguſtino & Fauſto oſtendimus. 6.

Deus, inquiunt Profeſſores aſſert. 9. non dat ipſa opera bona, niſi quatenus per gratiam prævenientem dat nobis auxilium ſufficiens, & paratus eſt dare concurſum gratiæ concomitantis in actu 2. ſi velimus. Id quomodo differt ab eo, quod 7. loquitur Maſſilien. ſententia, Per gratiam Dei non opus bonum, ſed operis tantum poſſibilitatem donari? Nam non eos naturæ & liberi arbitrii poſſibilitatem, ſed adjutorium etiam prævenientis intelligere hujuſmodi gratiæ, non ſemel jam admonuimus, quando nec hoc ipſum aliud quàm poſſe donet. Sed nec concurſum eos negaviſſe oſtendi poteſt. 7.

De perſeverantiæ dono Profeſſorum etiam ſen- 8. 9. & 10.
tentia

tentia eſt, in hoc generali poſitum, non quo perſeverans quiſque ſit, vel fiat,ſed eſſe poſſit, ſi velit. Id omnibus donari in actu primo: Juſtis univerſis etiam in actu ſecundo: quod eos tamen ſæpiſſime amittere contingat. Quibuſdam tamen quoddam ſpeciale perſeverantiæ donari munus, quo ſingulari juventur auxilio, ac protectione cuſtodiantur, ut fere indeclinabiliter ac infallibiliter in finem perſeverent; ſed non eſſe hoc ad ſalutem neceſſarium. Quid ab his tres Maſſilien. ſententiæ differant, 8. 9. 10. velimus nobis oſtendi. Nam nec ſingulares iſtæ protectiones & ſpecialia auxilia aliud quàm poſſe perſeverare, tribuunt; ut ex eventu æſtimandæ res tantum videantur, quomodo ſecundum eos, etiam communi perſeverantiæ dono perſeverari infallibiliter poteſt.

11. Poſtremo 22. Profeſſorum aſſertio erat, In ſtatu innocentiæ ſufficiebat homini ad ſalutem gratia, quâ poterat perſeverare, ſi vellet; ergo & nunc. Ubi haud dubiè ſtatus utriuſque perſeverantiæ confunditur, & non alterius efficaciæ cum Maſſilien. nec potentior nunc in electis, per quam perſeverare poſſint, agnoſcetur neceſſaria gratia, quàm quæ fuerit primis hominibus data. Nam ſpeciale illud protectionis & auxiliorum beneficium non omnibus faciunt electis commune, ſed paucis tantum quibuſdam (quos ideo confirmatos in gratià dici volunt) ut forte Apoſt. inquiunt; unde intelligi poſſit, utrum doctrina Profeſſorum nihil, ut ajunt, nec in ſpeciem quidem commune cum ipſis habeat.

Cæterum ut nos ſatisfactioni huic finem imponamus, ſi verum eſt, de R. P. Bellarmino, quod ſcribunt, ſententiam illum mutaſſe nunc ſuam; equidem viderit à quibus, quàm idoneis juſtiſque cauſis inductus, vel perſuaſus id fecerit; ſperamus

tamen de viri illius ingenio atque doctrina, quòd lecto, & examinato iterum diligentiùs Auguſtino, quâ facilitate priorem reliquerit ſententiam, eâdem ad ipſam ſit rediturus. Quod & hos Profeſſores facturos confidimus, ubi Auguſtinum adverſus Pelagianos ex integro, totumque attentiùs diligentiuſque legere per otium poterunt; ſed ſepoſito pauliſper anticipatæ opinionis præjudicio. Quod ut facere aliquando velint etiam eos atque etiam hortamur in Domino. Quod poſtremò doctrinam hanc ſuam ſcire ſe ajunt, in Gallia Pariſiis, in Hiſpania Salmanticæ & Compluti, in Luſitania Conimbricæ, Romæque, ac in tot aliis Univerſitatibus, abſque ulla contradictione, aut offenſa fuiſſe traditam, equidem quomodo accipere debeamus, non ſatis intelligimus.

Neque enim nec ipſos dicere auſuros exiſtimamus habere ſe in hac doctrina cæteras ubique conſentientes Univerſitates, quando nec cum ſui quidem Ordinis profeſſoribus, in iiſdem hiſce controverſiis ſatis eos convenire, fideli quorundam relatione, nec incertis amicorum litteris didicerimus. Quod ſi omnes cùm P. Bellarmino, ſententiam mutaſſe dixerint, equidem mirabimur tam ſubitam iſtam mutationem; præſertim, cum de uniformi aliqua doctrinæ ratione conſtituendâ, quam omnes Societatis Profeſſores ſequi jubeantur, agitari adhuc Romæ inter deputatos & rem eam necdum ad finem perductam, intelligamus. Certè quàm nec id à ſuis quidem omnibus obtineri mox poſſe ſperent, docere poteſt liber quidam in Collegio Societatis Jeſu, anno 1586. Romæ hoc titulo impreſſus, *Ratio atque inſtitutio ſtudiorum, per ſex Patres ad id juſſu Reverendi Patris Generalis deputatos conſcripta.* In eo regula quædam hujuſmodi præponitur inter cæteras nu.

3. *Qua*

3. *Quæ opiniones cujuſcumque Auctoris ſint in aliqua Provincia, aut Civitate, multos aut noſtrorum, aut externorum Catholicos, & non indoctos offendere ſcientur, eas ibi nemo doceat, aut defendat, quamvis alibi ſine offenſione doceantur.* Ac rurſus regulâ 8. *Priores Profeſſores ſi contrariam docuerint; exiſtimationi conſulat unuſquiſque, & cum commodè conciliari poſſunt Doctores, id verò non negligatur.* Quas regulas ab amico quodam nobis communicatas proponere viſum hîc fuit, unde intelligatur, non hunc adhuc, nec inter ipſos quidem Societ. Profeſſores mutuum eſſe doctrinæ conſenſum, ut mirandum non ſit, ſi nec in hoc cum ipſis argumento, multò minùs cum cæteris Univerſitatibus, Profeſſores hi duo conſentiant. Quamquam, ut ſententiam mutaſſe nunc omnes, ac Univerſitates etiam ipſas, in quibus verſantur, eis acceſſiſſe donemus, tamen vel ipſa doctrinæ mutatio, ac prioris innovatio ſuſpicionem ſanè non parvam ingerit; quando, ſecundum Tertullianum, anterior ſemper falſitate ſit veritas, ut ſi quid poſterius invectum fuerit, zizanorum ſuperſeminatorum exemplo, falſitati deputetur. Sed eſſe doctrinam hanc abſque ulla utique contradictione, aut offenſione traditam, ac perſeveranter etiamnum tradi, ſoloſque eſſe nos qui obſtrepere audeamus, perſuadere nobis non poſſumus. Nam, ut de Luteria diſſimulemus, in qua traditam quidem nuper hanc doctrinam cognovimus, ſed non multò pòſt exploſam (quid enim aliud à tam antiqua tamque celebri & Catholica erat Academia expectandum?) certè negari non poteſt, Conimbricenſem Caſalium non uno in loco eidem adverſari. Salmanticæ deinde tradita aliquando ut fuerit, pacatam ibi tamen regnaſſe nunquam, evidenter docent cum Bartholomæi Medinæ in D. Thom. nuper edita ſcripta, tum verò

Cap. 13. de præſcrip.

Dominici Banneſii, viri ſanè doctiſſimi, & primarii illic in Theologia Profeſſoris, in eundem B. Thomi Commentarii: qui ſingulari Dei providentiâ, opportuniſſimè nuper, pridie videlicet quàm Illuſtriſſimus, Reverendiſſimuſque Apoſtolicus Nuncius ad nos accederet, huc perlati fuere; quando nulla hîc ferè aſſertio, aut doctrinæ pars eſt, quam non ille ex profeſſo oppugnet: nihil veritus quoque ad Pelagii eam rejicere hæreſim; quaſi digito etiam novitiæ hujus doctrinæ notatis auctoribus. Quare & in aliis Univerſitatibus idem accidere potuiſſe, ſi credamus, non admodum fuerit à vero alienum. Quin & pluribus futurum locis omnino ſperamus, ubi evigilare homines, & ad novæ frugis hujus diſſimilitudinem attendere diligentiùs cœperint.

PERORATIO.

Hæc ſunt Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, quæ pro Cenſuræ noſtræ, id eſt, judicii noſtri; juſtificatione purgationeque ad Apologiam Profeſſorum hic Societatis reſpondenda duximus; ex quibus intelligi queat, quàm non injuriâ videri potuerint notata eorum dogmata, eſſe non ſolum nova, & peregrina, ſed offenſiva etiam & periculoſa. Quod ipſi cum de noſtris dicere ſe negent, non aliud tamen tota paſſim Apologia, ſummâ libertate clamitare audiuntur. Quam tamen Cenſuram Scholaſticumque judicium noſtrum, quâ decet veneratione, Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ judicio Cenſuræque libenter ſubmittimus, extremum ejus definitamque ſententiam gratiſſimis promtiſſimiſque mentibus accepturi: in quam ut intendere aliquando dignetur, etiam atque etiam rogamus & obſecramus.

Cæterum ad veteris Scholæ Facultatiſque noſtræ cauſam quod attinet, à cujus doctrina nos receſſiſſe Apologia, ejuſque integritatem corrupiſſe non ſemel objicit; tametſi in ſuperioribus non pauca ſparſim ſint dicta, unde refelli haud difficulter criminatio ea poſſit, tamen ut pleniſſima omnibus ſatisfactio detur, privato ac peculiari aliquo ſcripto

dili-

diligentius totum hoc negotium tractandum putavimus, quo ſinceritatem in dicendo noſtram univerſis teſtatam faciamus, doceamuſque, non eſſe peregrinam à nobis in Scholas noſtras doctrinam invectam; ſed cum à paucis quibuſdam, vel ab uno fortaſſe Ruardo (quod pace tanti viri dixerimus) fieri cæptum id eſſet depulsâ novitate; veterem per nos ac pleroſque etiam Anteceſſores noſtros, revocatam, aſſertam, defenſamque, ac integritati ſuæ reſtitutam eſſe; adeoque nec unquam vel ejus temporis Facultatem noſtram, aut notabilem aliquam ejus partem, præfati viri opinationes probaviſſe; quemadmodum, præter cæteros locupletiſſimus eſt teſtis D. Iudocus Tiletanus, Collegii tunc noſtri haud ſanè poſtremus. Neque vero Scholaſticorum illi obfuit proprie lectio, ſed quod illis plus æquo inhærens, ad B. Auguſt. tam ſerò acceſſerit, nec niſi privatis quibuſdam occupatus opinionibus, quarum præjudicio tentus, legere poſtea illum, niſi alieno animo, non potuit; eoque non ſe illi, ſed illum ſibi attemperare, & inflectere conatus. Quare quòd ante B. Auguſtini lectionem Scholaſticæ diſciplinæ jacienda fundamenta Profeſſores moneant, non improbamus; ſed libenter hoc amplectimur conſilium, ac diſcipulis ſequendum noſtris, ſed vetere jam olim inſtituto moreque majorum ſedulo etiam tradidimus.

Apolog. contra Illyricum c. 4. f. 67.

Verum & illud ſimul admonemus: ut eam imprimis non ex quibuſvis ſed probatiſſimis Scholaſticis, qualis inter cæteros D. Thomas eſt, petendum putent. Deinde nec unam ſolamque ſibi, aut diu nimis colendam exiſtiment, ſed diligentem cum ſcripturarum quoque ſacrarum, tum veterum quoque, ac imprimis B. Auguſtini, qui Scholaſticæ diſciplinæ quaſi fons & parens fuit, lectionem adjungere ne negligant. Periculum enim alioquin non parvum eſſe, ne peſtiferi errores ex Scholaſticis nonnullis hauriantur, niſi ex B. Auguſtini officina ſalutaribus ſe quiſque antidotis præmuniat: cujuſmodi ſane exemplum præſensne controverſia nobis exhibeat, aliorum erit judicium. Scholaſticam ſanè doctrinam ſuam, prout eam tradere nunc hic cœpere, ignoſcent nobis Societatis Profeſſores, ſi Auguſtino intelligendo non modo non conducere, ſed obeſſe potius plurimum & ut leviſſimè dicamus, ad obſcurandam ejus doctrinam pertinere putemus. Nam quod ſuam illam toto jam fere terrarum Orbe celebrari, ultimis verbis ajunt jactantius quàm verius dictum exiſtimamus.

Hanc Iuſtificationem ſeu defenſionem Cenſuræ Facultatis noſtræ Theologicæ Lovanienſis ego ſubſcriptus, omnium ejuſdem Facultatis Doctorum concordi judicio, probatam eſſe, ac Illuſtriſſimo Reverendiſſimoque Domino Apoſtolico Nuntio, Calatino Epiſcopo exhiberi juſſam, Atteſtor

menſis

menſis Auguſti die 17. Anni 1588. Subſcriptum Henricus Cuyckius, Facultatis Theologicæ Lovanienſis Decanus. De mandato Dominorum Decani & reliquorum Magiſtrorum Facultatis Sacræ Theologiæ, ſubſcripſit Andreas Saſſenus, dictæ S. Theologiæ Bedellus & Notarius publicus.

Nos infraſcripti fidem facimus & atteſtamur, ſubſcriptum exemplar, foliorum ſexaginta-ſeptem, cum ſuo originali, Reverendiſſimo Domino Nuntio Apoſtolico exhibito, per nos diligenter auſcultatum & collationatum, cum eodem concordare, & in omnibus, & per omnia convenire. In ejuſdem fidem manu noſtrâ nos hic ſubſcripſimus, Lovanii die 9. menſis Septembris 1588. ſubſcriptum. Ita atteſtor ego Iulius Tarteſius I. V. Doctor, & prædicti Reverendiſſimi D. Auditor, Ita atteſtor ego Iacobus Peranus Reverendiſſimi D. Nuntii Abbreviator.

CVm ad aures Facultatis Sacræ Theologiæ Vniverſitatis Lovanienſis pervenerit, ſparſum eſſe in Hiſpania, Italia, & aliis partibus, eam in materia DE AVXILIIS ET GRATIA CHRISTI mutaſſe ſententiam, & ab antiqua, quam in ſua Cenſura Summo Pontifici Romam tranſmiſſa, quondam tenuit, retroceſſiſſe, idque ob energiam argumentorum, quæ P. Leſſius, tum vivæ vocis dictamine, tum edito libro in medium attulit. Volens huic ſparſo rumori obviare, & veritatem omni volenti ſcire, manifeſtare, ſub juramento congregata in Capitulo parvo Sancti Petri, die trigeſima Menſis Iulii poſt Veſperas Anni 1613. nullo Magiſtrorum ipſius contradicente, tota Facultas uniformiter declaravit, & teſtata

ſtata eſt, ſe ſemper tenuiſſe, & nunc de præſenti tenere, ſemper perſtitiſſe, & nunc de præſenti perſiſtere, in ſua antiqua ſententia, quam in dicta Cenſura tenuit, & ibi declaravit, nec unquam ab illa ſententia diſceſsiſſe, nec in poſterum, Deo favente, diſceſſuram, donec per Summum Pontificem aliud diffiniatur, aut à Sancta Romana Eccleſia, cujus Cenſuræ & correctioni, omnia in prædicta Cenſura contenta, & quælibet alia à ſe dicta, & in poſterum dicenda humiliter ſubjicit, aliud tenere ei præcipiatur. Declaravit inſuper tantum abeſſe ut argumentis P. Leſsii antedicti à ſua ſententia receſſerit, ut ex adverſo, quemadmodum olim ipſius dictata improbavit, ita nunc improbat ipſius edita ſcripta in hac determinata materia. Permiſitque

præ-

prædicta Facultas & voluit copiam hujus actæ omni volenti habere, illam dari, & ad quaſcumque partes tranſmitti.

Quod atteſtor GERARDUS RIVIUS dictæ Facultatis Bedellus & Notarius juratus.

IN hac autem Academiæ Lovanienſis & Patrum Societ. controverſia Sixtum V. Pont. Max. pro Academica & S. Auguſtini doctrina tuliſſe ſuffragium, facilè intelligitur ex iis quæ narrat Henriquez doctiſſimus Theologus Societ. Jeſu lib. de fine hom. cap. 12. *Satis videtur*, inquit, *ſi ſententia affirmans electionem ad gloriam factam eſſe ex prævisis electorum meritis damnetur notâ temeritatis, ex Doctoribus Scholaſticis ſuprà citatis; eſſeque plane contra Auguſtinum conſtat* (ut agnoſcit etiam Catharinus:) *quem Auguſtinum Patres in Conciliis, & major meliorque pars Theologorum antiquiorum, & torrens recentiorum Sapientum ſequitur, in omni fere Academia orbis Chriſtiani. Quidam doctus* (procul dubio P. Leon. Leſſius) *prædicavit in Academia Lovanienſi oppoſitum, cum magno ſcandalo Academiæ. Et re ad Sixtum V. delatâ, ſuſtinuit ſuæ temeritatis acrem reprehenſionem.*

FINIS.

ANT 1412106

Digitized by Google